UVA. BHSC. SC 10877

631
10.877

UVA. BHSC. SC 10877

IOSE

CA RI

~~Caput II. Sadeu 6.~~

10.877

UVA. BHSC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

Gunn

460

IOSEPHI

SCALIGERI

IVL. CÆS. A BVRDEN F.

ELENCHVS

Vtriusque Orationis Chronologicæ

D. DAVIDIS PAREI:

Quarum secunda operis calci addita:

Prior vero Commentariis auctoris in Hoseam
Heydelbergæ excusis prostat.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officina Henrici Ludovici ab Haestens,

Impensis Ludovici Elzevirii. Anno 1607.

UVA. BHSC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

Doctrina & Pietate Ornatiſſimo Viro D. IOHANNI LATIO, Amico ſingulari.

Ria cumprimis (ornatiſſime Lati) in illuſtri Viro Ioſepho Scaligero admiranda; pietas, doctrina, candor. Pietatem illius teſtatur, cum nota vitæ probitas & veræ religionis aſſertio, tum invicta animi conſtantia, quæ nec crebris ampliſſimarum promiſſionũ illecebris, à faventibus magnatibus, inescari; nec odiis & maledictis viruentiſſimis, ab adverſariis Jeſuitis, potuit convelli. Doctrinam illius ſummam probi vident ac ſtupent, maliqúe ſumma ſua invidia inviti palam confitentur. Candor denique, ex rariſſimis hoc ævo virtutibus, benignitate & veritatis amore planè admirabili, præclarè elucet. Quid enim Scaligero benignius? qui non ſolùm dites ingenii ſui dotes publicè literarum tradidit momentis; ſed etiam privatim, amicis quàm plurimis, varios & reconditos eruditionis theſauros, ſpreta inventionis fama (pro qua cœlum terræ miſceri ſolet) diſtribuit ac mancipavit. Quod, me tacente, doctiſſimi Galli, Germani, Belgæ, grato animo agnoſcunt ac prædicant. Quis Scaligero veritatis amore flagrat vehementius? qui veritatem ſive à ſe, ſive ab aliis, inventam exoſculatur: &, ſicubi fortè minimùm ab ea declinarit, compertam reveretur & amplectitur; rectiq́; judicio, nequis imprudentior impingat, ultro & ingenuè commendat. Vt meritò aureum illud Philoſophi placitum (ore vulgi potius, quàm opere, celebratum) Decere ſapientem amore veritatis ſua etiam, ſi opus ſit, decreta reſcindere, nobiliſſimo & rariſſimo exemplo, ad vivum expreſſiſſe, videatur. Adeo ut ſincerè ac verè dici queat, pietatem habere communem cum paucis, doctrinam cum pauciſſimis, candorem verò geminum ſibi, ſuo quodam jure, vendicare. Quem etiam in privata ſalutatione, vir quidam celeberrimus, longè ſupra opinionem majorem expertus, nihil ſibi ægrius eſſe, doctiſſimo Collegæ meo Magiſtro Gilberto

UVA. BHSC. SC 10877

Iacchæo asseruit, quàm quod, in tam benignum & candidum pectus, atrum & adversarium strinxisset calamum. Ex quo etiam fonte Orationis Chronologicæ Elenchus ejusque editio profluxit. Quum enim Chronologi, mihi noti & observandi, nomine à me rogatus esset, ut suum de Oratione tradita judicium explicaret, non gravatim, paucis diebus, scripto complexus est ac donavit. Cujus cum usus, propter argumenti & scriptoris præstantiam, à te aliisq; multis doctis viris (inter quos genere, virtutibus, doctrina, regia legatione, nobilissimus & honoratissimus Dominus Busenvalius, excellit) flagitaretur; non potui pudenter reluctari: ne opus, tam insigne, aliis viderer invidere, & iniquè, cum publico damno, fœtum alienum supprimere. Ne verò (ut fieri solet) descriptis variis exemplaribus, Elenchus hic, cum gravi in auctorem injuria, vitiosus aut interpolatus, alibi in lucem ederetur; impetrata tandem viri humanissimi venia, commissus est typis; ut bono publico, publici fieret juris. Quare (amicissime Lati) exspectata ac promissa Disceptatione Chronologica, cum omnibus sacræ & accuratæ Chronologiæ studiosis, fruere ac vale. Lugduni Batavorum, Anno 1607. Ianuar. x.

Tuus

Franciscus Gomarus.

UVA. BHSC. SC 10877

ELENCHVS Propheticæ Chronologiæ.

MONITA.

I. PRopheticam Chronologiam & doctrinam vocamus ejus generis hominum, qui negãt in exotica hiſtoria aliquid veri eſſe: alios reges eſſe dicũt ab illis, quos Græci memorãt, qui ſub ipſis Regibus ſcripſerunt, & eorum imperio ſubditi fuerunt: aliud initium Cyri ſecundum profanum calculum eſſe, aliud ſecundũ ſacrum. Vnde merito eos Prophetas vocamus, quod ſine ulla externorũ ſcriptorum ope omnia divinare profitentur. Quia vero iſte Chronologus ad eam doctrinam, cujus pater Beroaldus fuit, rationes ſuas direxit, propterea hanc Chronologiam propheticam, ejuſque annos propheticos vocamus. Vocentur ergo anni prophetici.

II. Duarum Tabularum antecedentium prioris primus verſus inſignes epochas cõtinet, Exodi,

UVA. BHSC. SC 10877

cõditus Templi, Roboami &c. Secundus versus annos veros ab Adam. Tertius Epochas falsas in annis propheticis. Quartus veras epochas in iisdem annis. Quintus, qui & ultimus, differentiam veri & falsi anni ab Adam κατὰ μετα χρονισμὸν. Exemplum: Primi versus epocha est Exodus, cujus terminus est annus verus Mundi 2453 in secundo versu; falsus autẽ in anno propheticO 2523 tertii versus: quem oportebat esse 2433, ut est in quarto versu, siquidem veri essent illi anni prophetici. hoc est, si verum esset, ab Adam, ad primam Olympiadem, esse annos cõpletos 3153, ut sancit propheticus computus: quum certissimum sit, ab Exodo, ad primã Olympiadem, interesse annos absolutos 721, necessario annus Exodi incurreret in annum propheticum 2433, non in 2523. Differentia enim utriusq; sunt anni 90, ut habet quintus versus Tabulę. Itaq; 90 annis plus ponit propheticus calculus, quã verus. quę κατάχρησις in Chronologia vocatur μετα χρονισμὸς, quo peccatur κατὰ πλέον, quum plus dicitur, quam opus est. Contra, quum peccatur ἀφαιρέσει, vitium illud κατὰ χρονισμὸς vocatur, quum scilicet minus dicitur.

III. Annus verus a primo homine, cujusmodi est

UVA. BHSC. SC 10877

est numerus Exodi 2453 in secundo versu, init ab autumno anni Iuliani antecedētis. Prophetici autem anni initium statuimus in Kal. Ianuarii Iuliani, feria secunda, anno primo Cycli Solaris. Ideo, quia prima Olympias inivit anno prophetico 3154, intelligendum est ejus initium capiendum esse a diebus æstivis illius anni 3154, cujus initium est a Kal. Ianuarii. Itaq; hos annos propheticos meros Iulianos esse ponimus. Sed anni veri a primo homine ineunt ab antecedente autumno. Exemplum: Annus verus Exodi, ut diximus, est 2453, conveniens cum anno prophetico 2433. Sed annus hic propheticus, quum ponatur esse merus Iulianus, init a Kal. Ianuarii, annus autem verus 2453 inivit ab æquinoctio antecedentis autumni.

Annus primus huius epochæ propheticæ concurrit cum anno primo Cycli Solaris Romani. Ideo ad methodum Cycli Solaris nihil addendum, sed divisis annis propheticis per 28, relinquetur annus cycli Solis Romani. Exemplum: Hoc anno Christi 1606, currebat cyclus solis XIX. Is est annus 5535 epochæ propheticæ. qui divisus per 28 relinquit annum cycli solis XIX. Rursus idem annus propheticus per septem divisus relinquit IIII.

UVA. BHSC. SC 10877

linquit annum hebdomadis annalis ineuntem ab autumno ejuſdem anni. Exemplum: hoc anno Chriſti 1606 inibit annus v hebdomadis annalis ab autumno ejuſdem anni. Diviſo anno prophetico 5535 per 7, relinquitur v, ut antea, hoc eſt annus v hebdomadis inibit autumno hujus anni prophetici 5535. Denique primo anno hujus epochæ propheticæ neomenia Niſan inivit die xi Aprilis, feria v, cyclo Lunæ vi. Ideo quinque adhibenda ſunt annis propheticis ad methodum cycli Lunaris. Exemplum: hoc anno Chriſti 1606 currit cyclus xi Lunæ. additis v ad 5535, & toto per 19 diviſo, remanebit cyclus Lunę xi.

v. Elenchi duplex modus eſto. Prior, quum annus, aut intervallum conſideratur per ſe, nulla relatione ad aliud intervallum facta. Alter, quum annus, aut intervallum refertur ad aliud verum intervallum, aut alium verum annum.

Elenchus Epocharum, quæ in priore Tabula.

EXodi epocha prophetica per priorem modum peccat dupliciter, charactere neomeniæ Niſan, & charactere Hebdomadis annalis. Character veri Niſan, quando migratum eſt ex finibus

UVA. BHSC. SC 10877

finibus Ægypti, fuit feria quinta, ut colligitur Exodi cap. XVI, quemadmodum a nobis olim demonstratum est. At Nisan propheticus anni 2523 incidit in feriam primam, cyclo Lunæ primo, Solis III, Martii Iuliani die XXIX, Epacta unica. Charactere hebdomadis peccatur, quod Nisan Exodi incidit in annum tertium Hebdomadis currentis. At annus propheticus 2523 divisus per 7 dat annum tertium ineundũ ab autumno ejusdem anni, quum deberet dare quartum annum. Ratio hujus rei infra explicabitur. Per posteriorem modum, hoc est relative, peccatur dupliciter. Nam epocha hæc cum alio vero intervallo cõparata peccat metachronismo $\overline{XC}$ annorum, & ad aliud verum intervallum relata peccat totidem annorum prochronismo. Quod est ridiculũ. Nam etiam falsa hypothesi sumpta rationes tamen constare debent: non autem desultorie nunc metachronismo, nunc prochronismo committere. Annus verus Exodi in annis propheticis 2433 deductus de falsa epocha Exodi 2523 relinquit annos $\overline{XC}$ μεταχρονισμῶ, ut notatum est in versu ultimo prioris Tabulæ. Rursus annus verus Exodi 2433, de vero anno passionis deductus, relinquit verum intervallũ ann. 1529.

UVA. BHSC. SC 10877

Annus falsus Exodi 2523, de 3962 detractus relinquit intervallum annorum 1439. Differentia horum numerorum 1529, *1439*, sunt anni quidē $\overline{\text{XC}}$, ut supra, sed προχρονισμῶ, non μεταχρονισμῶ: quæ est mira, & iocularis inconstantia. Rursus in epocha conditus templi metachronismus est 90 ann. Relative totidem annorum prochronismus. Intervallum enim verum conditus templi & passionis est 1049: propheticum 959. Differentia, 90 anni προχρονισμῶ.

Quod peccatum est in anno Exodi, non dubium est, quin idem ex iisdem causis cōmissum sit in excessu Mosis. Annus enim quadragesimus post Exodum incidit in primum Hebdomadis. At in epocha prophetica incidit in septimum. Nam 2563 divisa per $\overline{\text{VII}}$ relinquunt annum primum inchoandum ab autumno ejusdem anni prophetici. Atqui debebāt relinquere binarium. Hæc demonstrant quicquid superius disputavimus de anno tertio Hebdomadis in vera epocha Exodi.

Annus primus Ezekiæ per priorem modum peccat charactere hebdomadis annalis. Nam initium verum illius Regis habet annum secundum currentem Hebdomadis annalis. At propheticus

UVA. BHSC. SC 10877

pheticus annus *3282* est annus quintus labens. Eo enim per $\overline{\text{VII}}$ diviso, remanet annus sextus ineundus ab autumno ejusdem anni *3282*. Currebat igitur, ut diximus, annus $\overline{\text{V}}$ Hebdomadis. Per posteriorem modum, sive relative, peccatur metachronismo 80 annorum, ut est in versu ultimo prioris Tabulæ. Rursus anno $\overline{\text{XV}}$ Ezekiæ, qui juxta epochã propheticam erat *3296*, Merodach rex Babylonis quintus a Nabonassaro misit legatos suos Ierosolyma. Merodach obiit anno prophetico *3211*. Differentia, anni *85* μετχρονισμῶ. Itaque Merodach miserit legatos suos annis $\overline{\text{LXXXV}}$ post obitum suum. Certe calculus profanus hic valde adversatur prophetico.

Intervallum a conditu Templi, ad casum Sedekiæ, expressum diserte extat in scriptura ex dinumeratione annorum, per quos a singulis regibus regnatum est, quod colligitur annorum *427*. Et quidem de tot Chronologis, etiam illis, qui paracleto prophetico afflati literas exoticas execrantur, vix unum reperias, qui plus, aut minus, ponat. Sed hic ponuntur tantum anni *412*. Minus dicitur annis $\overline{\text{XV}}$. cujus temeritatis hæc causa est. quod adversus auctoritatẽ scripturę, & fidem historiæ sacræ, Regibus Iudæ sex, Asæ, Iosaphat,

UVA. BHSC. SC 10877

Ochoziæ, Achaz, Manaſsi, Ioſiæ ſinguli anni detracti ſunt; quatuor regi Ioram, terni Amaziæ, & Ezekiæ. Summa, anni $\overline{\text{XVI}}$: de quibus deducto uno ſuperfluo, qui attributus eſt Abiæ, remanent anni quindecim ἀναχρονισμῷ κατ' ἀφαίρεσιν. Ecquæ major temeritas, quã annos a ſcriptura definitos extendere, cõtrahere, interpolare? Quare ſecundũ paracletum propheticũ Ezekias regnaverit $\overline{\text{XXVI}}$ tantum annos, ſecundum hiſtoriam $\overline{\text{XXIX}}$? Quis ferat Ioram $\overline{\text{IIII}}$ tantum annos regnaſſe apud Prophetas, in libris autem ſacris $\overline{\text{VIII}}$? Deinde Prophetæ clamant atrocẽ injuriam Spiritui ſancto fieri, ſi aliter credatur, quam S. Paracletus propheticus ſanxit.

Intervallum a primo anno γεωργίας, ad caſum Sedekiæ, peccat πολυχρονισμῷ $\overline{\text{XVI}}$ annorum; deinde anno Iobel. Annus verus γεωργίας ab Adam 2500. Annus verus excidii templi, 3360. Differentia anni 860 abſoluti. Annus verò 861 labens erat is, in quo excidium contigit. In prophetico epilogiſmo annus γεωργίας 2570. annus excidii templi 3415. Differentia, 845: & 846, annus currebat cum ultimo Sedekiæ. Differentia 861, & 846, anni $\overline{\text{XV}}$ ἀναχρονισμῷ illius, de quo proxima animadverſione egimus. Ruſſus diviſis 861 per 49, re-

UVA. BHSC. SC 10877

49, remanet annus 28 Iobel decimi octavi. Nam anno antecedēte, qui erat decimus Sedekiæ, currebat annus $\overline{\text{XXVII}}$ ejusdem Iobel. Ezekiel $\overline{\text{XXIX}}$, 17. In prophetico calculo 846, per 49 divisis, relinquitur $\overline{\text{XLII}}$ annus decimi octavi Iobel; adversus fidem Ezekielis, defectu illorum $\overline{\text{XV}}$ annorum ἀναχρονισμῶ.

Annus excidii templi, & casus Sedekiæ, 3415 peccat per priorem modum charactere hebdomadis annalis. Erat enim is annus Sabbaticus, in cujus Thamuz Chaldæi urbem irruperunt. At in prophetico calculo 3415 divisa per $\overline{\text{VII}}$ relinquunt annum Hebdomadis $\overline{\text{VI}}$ ineundū ab autumno ejusdem anni prophetici. Currebat igitur annus $\overline{\text{V}}$ Hebdomadis, non septimus. Per posteriorem modum ridiculus, ineptissimus, stultissimus anachronismus commissus est. Is enim annus propheticus convenit octavo Darii Hystaspidæ. Omnem hallucinationem superat, quod annus propheticus 3415 erat septuagesimus quintus post decimum octavum Nabuchodonosori, quo constat Ierosolyma deleta fuisse. Itaque secundum hunc, paracleto prophetico afflatum, calculum, Nabuchodonosor expugnaverit Ierosolyma $\overline{\text{XCIII}}$ anno expeditionis suæ, nō $\overline{\text{XIX}}$.

UVA. BHSC. SC 10877

Præterea quum Ierem. LII, 31, trigesimo septimo anno deportationis Iechoniæ Nabuchodonosor obierit, ergo Ewilmerodach ejus filius iniverit regnum anno prophetico *3441*, qui profecto erar *32* annus Darii Hystaspidæ. Itaque divina hæc Chronologia eodem tempore duos reges Babylone imperantes facit, Ewilmerodach, & Darium Hystaspidem. Simile delirium, quod annus primus Ioakim filii Amon ponitur *72* annis completis post primum annum Nabuchodonosori. Hæc sane cum Milesiis Apuleianis certant.

Error de restituto in integrum Iechonia pendet a superiori hallucinatione. Excessus Nabuchodonosori, sive initium verum Ewilmerodachi, in annis propheticis *3352* detractum de *3441*, in quo ponitur Iechoniæ restitutio, relinquit annos μεταχρονισμῶ LXXXIX. Itaq; quantum propheticus calculus profano præstet, hinc æstimare licet: quod misellis profanis ne latum quidem unguem a præscriptis temporũ modis deflectere fas est. Prophetæ possunt mutare tempora iuxta illud Danielis VII, 25.

Longe absurdior epocha laxatæ captivitatis in anno prophetico *3474*, hoc est anno primo Olymp.

UVA. BHSC. SC 10877

Olymp. LXXXI, qui erat annns XI Artaxerxis Longimani, & XXVIII absolutus ætatis Herodoti patris historiæ, qui conscripsit gesta Cyri, Cambysis, Smerdios, Darii Hystaspidę, expeditionẽ Xerxis. Itaque a primo anno Cyri, ad expeditionem Xerxis, intervallum est annorum LXXX. In ipsa autem expeditione Xerxis Herodotus erat annorũ quinque. Quomodo igitur 80 anni incipiunt anno XXVIII ætatis Herodoti, qui terminati erãt anno quinto ejusdẽ? Quis non miretur acumen paracleti? Prophetæ negent sane tantam vetustatem esse Cyri, si modo LV Olympiadis vetustas tanta esse potest, quo tempore Græciæ res florentissimæ erant. Tamen an ullus sacer & propheticus calculus Herodotum serius natum esse probare posit, ipsi viderint. Nos scimus eum, quũ esset annorum LIII, anno primo Olympiadis LXXXVII libros suos divinos tam Athenis, quam panegyri totius Græciæ, recitasse. Thucydides autem, qui tunc erat annorum XIII, inter anditores fuit: quem admiratio scriptorum Herodoti ad studium historiæ incitavit. Certe non est acutior mucro, qui jugulum prophetarum petat. Nam si Herodotum, & Thucydidem

UVA. BHSC. SC 10877

hiſtoriam, ſciviſſe negãt; at ętatem ſuam, & tempora ſua ſciviſſe, negare non poſſunt.

A templo fundato, ad idem abſolutum, anni 46.] Verum quidem eſt hanc veterum & recentiorum opinionẽ fuiſſe de 46 annis. Sed vanitatẽ hanc & nos olim profligavimus, & alii poſt nos. Quãdo enim Iudæi Iohann. II, 20 hoc dicebant, totidem anni erant ex quo Herodes templum inſtaurare cæperat. Neque tamen, quum Iudæi hoc dicerẽt, templum abſolutum erat, ſed ei circiter tempora Neroniana ſupremam manum additam fuiſſe teſtis eſt, qui vidit, Ioſephus. Quod autem Beroaldus Patriarcha hoſtium hiſtoriæ exoticæ templum ab Herode inſtauratum neget, nõ mirum, ut qui Cyrum 74 annis, poſt ejus obitum regnare jubet. Templum vero, quod ſub Zorobabele duce fundari cœptum eſt, continuatum fuit uſq; ad initium Artaxerxis Longimani. Eſdr IIII, 5, 6, 7: quanquam finitimi opus infeſtarent, neque ab edicto Cyri, ad finem Xerxis, ulla requies daretur. Quum hoſtes viderent irritos conatus ſuos eſſe, criminationem in Iudæos apud Xerxem inſtituerunt: ſed fruſtra. Tandem ab Artaxerxe Longimano edictum de opere interpellando fraude eblanditi ſunt, quo ceſſatum eſt ab opere ſoli-

UVA. BHSC. SC 10877

solidis quadraginta annis, quot nempe Artaxerxes regnavit. Sed isti 46 anni desinunt in anno prophetico 3522. qui est annus XVII Darii Nothi. Cui bono? Anno 3511 templum absolutum fuit, non autem 3522.

Ad æram Iulij] Per æram Iulii intelligit Kalendas primi Ianuarij Iuliani, sive annum correctionis Fastorum: quod quidem constat ex pag. 4, ubi ait annum Ægyptiacum semper in usu fuisse, usque ad æram Iulianam. hoc est: annum Ægyptiacum sine quadrantis appendice fuisse, donec edicto Cæsaris bisextum introductū est. Sed errat dupliciter: primo in epocha, quia Kalendæ primi anni Iuliani concurrunt cum anno prophetico ineunte 3885. deinde quia nulla æra Cæsaris ab ejus reformatione Fastorum, in usus civiles recepta est. Sed vera æra Iuliana est ὁ χρηματισμὸς Ἀντιοχέων iniens anno prophetico 3882. de qua satis superq; a nobis in lib. de Emend. temporum, in notis Eusebianis, & in Canonibus Isagogicis disputatum est.

Ab æra Iuliana, ad Christum natum, 45] Iam hunc errorem profligavimus. Nam peccatum est in epocha, ut ostendimus. Alioquin verum est, XLV annos esse a primis Kalend. Iulianis, ad æram

UVA. BHSC. SC 10877

Christi Dionysianam, sed ab anno prophetico *3885*, non, ut eum fugit ratio, ab anno *3883*. Sed & peccat in epocha Christi cum vulgo Non enim verus Christi annus est is, quem auctore Dionysio Abbate Exiguo putamus biennio serius, quam Christus natus est.

A Christo nato, ad eundem passum, 3961] Error idem, qui Eusebij, per priorem modum. Vno enim anno minus dicit. Nam neomenia illius Nisan, quo Christus passus est, erat Sabbatum. Hoc vero anno prophetico 3961, neomenia Nisan fuit feria III, Kalend. Aprilis, Cyclo Solis XIII, Lunæ XIIII. Quare juxta hoc propheticum oraculum Christus passus fuerit feria secunda, non sexta: & consequenter Euangelistę mentiti fuerint. Sed quid facias? ferendum æquo animo, quia ita Prophetæ sanciunt. Neque minus mirum est Christum secundum Prophetarum calculum passum feria secunda, quam anno XXVIII ætatis Herodoti Cyrum adhuc in vivis esse, & Merodach superfuisse exequiis suis annos LXXV.

UVA. BHSC. SC 10877

Elenchus Propositionum.

Quæstio vetus & magna est] An intervallum ab Adam, ad Christum, ex sola scriptura colligi possit, si qui hanc quæstionem moverunt, frustra eos fuisse puto, & plus illis otij, quã mentis superfuisse. Deniq; propositio omnino inepta est. Vnaquæque enim historia sua intervalla habet aut expressa, aut per consequentias collecta. Eorum autem usus nullus est, nisi ea ad alias historiæ alicujus certæ & notæ epochas referantur. Institutum enim Chronologiæ est diversa gentium tempora colligere: finis, ea inter se comparare, & annos annis opponere, qui dicitur συγχρονισμός. Vnde vetustissimi Chronologi Græci, qui hujus scriptionis viam aliis præiverunt, prudenter disquisitionum suarum duas partes instituerunt. Priore per congeries temporum, quas ὁμαδας χρόνων vocant, intervalla inter se commiserunt in annis collectis. Posteriore singula gesta cum diversis diversarum nationum gestis contulerũt in annis expansis: cujusmodi sunt ea, quæ vulgo chronica vocantur. Quemadmodum igitur historia Romana per se docere non potest, quantũ intervallum sit inter bellum Messeniacum, & Archi-

Pag. A 3. b

UVA. BHSC. SC 10877

Archidamium : ſed omnium gentium, regnorum geſta, eorumque tempora ex ipſarum gentium, non autem exterorum hiſtoriis, hauriendа ſunt : ita intervalla ſacræ ſcripturæ neque a Græca, neque a Romana petenda ſunt, ſed ab ipſis originibus ſacris : quando autem illud, aut illud geſtum contigerit, hoc vero non niſi κατὰ συγχρονισμὸν deprehendi poteſt. συγχρονισμὸς vero eſt τῶν πρός τι. Igitur ad aliud referenda ſunt, & cum eo comparanda ea, quæ per ſe ſibi auxilio eſſe non poſſunt. Regum libri, a conditu templi, ad ejus excidium, diſerte colligunt annos 427. Hoc me docet tantum hiſtoria ſacra. Sed quantum ab anno templi everſi, ad hunc Chriſti 1606, quo hæc ſcribebamus, interſit, hoc profecto me hiſtoria ſacra non docet : neq; ab ea id exigendum, quod ipſa præſtare non poteſt : ſed ad συγχρονισμὸν cõfugiendum. Ab externa igitur hiſtoria ſubſidium petam, quæ me docet initium expeditionis Syriacæ Nabuchodonoſori. Id initium ſacra hiſtoria refert ad quartum annum Ioakimi filii Ammonis. Ierem. XXV, 2. ejuſdem vero anno XVIII abſoluto templum deletum. Quare & quid primo anno Nabuchodonoſori, quid decimonono Iudæis contigerit, Iudaica Bibliorum hiſtoria docet.

UVA. BHSC. SC 10877

docet. quando autem hoc gestum sit, quoto anno, quotæ Olympiadis, quis apprehendere possit, nisi initium Nabuchodonosori κῆ συγχρονισμὸν assecutus fuerit? Historia sacra non docet annos Olympicos, neq; epocham Nabonassari, neque Livius primum annũ Davidis, neque Thucydides tempus Exodi. Historia sane sacra nullo privilegio adversus exoticam munita est, ut per se sola sine Synchronismo deprehendi possit, & ad nostra tempora referri, ut hodiernorũ prophetarum ἐνθουσιασμὸς sancit, qui tumidis buccis, Stentorea voce ex suggestis suis clamant, ex sola scriptura nullis externis adjumentis erui posse, quantum ab Adam, ad tempus dominicæ passionis, intersit. Quod fortasse jure sibi vindicare possent, si omnia scripturæ intervalla ita definita essent, ut nullum in illis dubium, nihil, quod nos moraretur, interveniret. Neq; tamẽ propterea id, quod confidenter promittunt, præstare possẽt. Non enim negare possunt, multa in scripturis obscura, ἐναντιοφανῆ, ὕστερα πρότερα occurrere, & solutionẽ eorum pendere ex caussis abditis, quas quia ignoramus, ideo nobis contraria, & ὕστερα πρότερα videntur. Horum τὰ ὕστερα πρότερα minime nos movere debent: quia quo ordine

UVA. BHSC. SC 10877

quid referatur, modo constet veritas, aut nihili, aut parum interest. Tamẽ ea non solum simplicioribus moram objicere, sed etiam pervicaciores ad quęstionum deliria invitare possunt. Ejusmodi plenum est Ieremiæ volumen. Capite XXI obsidetur Ierusalem sub Sedekia. Sequenti capite est ὕστερον πρότερον decem aut novem annorum. Sermo enim est de capto & deportato Ioakimo, commate II. Caput autem XII,24,28 manifesto agit de initio Iechoniæ, quum Ioakimus eodem tempore Babylonẽ abductus esset. Rursus XXIIII est primus annus Sedekiæ: XXV quartus annus Ioakim. XLVI adversus Nechaonem, XLV adversus Waphrim, qui Nechaoni successit. XXVI initium regni Ioakim, quadriennio, aut saltem triennio solido ante gesta cap. XXV, cap. XXVI, 20, historia exponitur de Vria tanquam antiquior ea, quæ de Ieremia antecedit. Atqui ineunte regno ipsius Ioakimi historia ipsa de Ieremia refertur, & Caput ipsum ab ineunte anno primo Ioakim incipit. Et tamen commate 20, quæ de Vriæ prophetæ vaticinio, & ejus cæde scribuntur, tanquam gestum vetus, adducuntur, quod sub Ioakimo acciderit, quasi non omnia sub Ioakimo contigerint. I Samuel XVII, 12,58, sunt priora gestis

UVA. BHSC. SC 10877

gestis antecedenti capitis. Nam David unctus est post victoriam de Goliath, ut ex comparatione utriusque capitis colligitur. Quomodo ergo cap. XVI, 11 Samuel ignorat Davidem, quem ex cæde Goliath jam norat? Quomodo, inquam, XVII, 58 Saul interrogat eum quis sit, quem capite tamen sequenti ignorat? Ezekielis XXVI, de undecimo anno captivitatis, XXIX, 1, de decimo. Danielis V, ultimus annus Baltasar, VII autem primus annus ejusdē. Quare, aut quomodo hæc ὕστερα πρότερα commissa sint, a multis multas causas allatos scio, sed quas melius fuisset aut ab illis non adduci, aut ab aliis probari. In scriptura contraria, aut pugnantia non sunt, & qui putat, insanit: qui asserit, impie facit. Sed ἀπορίᾳ ϗ ἐναντιοφανῆ non pauca esse, testantur quæstiones a veteribus propositæ simul, & solutæ. Denique nisi obscura, ϗ ἐναντιοφανῆ multa essent, unde nata essent tot examina Chronologorū, tot Prophetarū abortivi fœtus? Selecta de tot millibus possumus adferre, & fortasse quæ ab aliis aut nō animadversa, aut cōsulto præterita sunt. Primus annus Sedekiæ est quartus hebdomadis annalis, iniens a quinto mense, anno Iudaico 3161, Cyclo Lunæ decimo, solis VIII, referēte Ieremia XXVIII.

UVA. BHSC. SC 10877

Capta ſunt Ieroſolyma menſe quarto, anno Sabbatico, qui erat Iudaici computi 3171. Nam anno $\overline{\text{IX}}$ Sedekiæ, 3169 Iudaico, mẽſe $\overline{\text{X}}$, Ieroſolyma obſidentur. Ierem. $\overline{\text{XXIX}}$, 1. & commate 2, anno Sedekiæ $\overline{\text{XI}}$, menſis IIII die nona, irruptio in urbẽ facta. Intervallum ab obſeſſa, ad captam urbem, menſes $\overline{\text{XVIII}}$. Ab initio autem Sedekiæ, ad captam urbem, anni ſunt $\overline{\text{X}}$, uno menſe minus. Et tamẽ is annus ab Ieremia dicitur undecimus Sedekiæ: quod certe non convenit ante neomeniã Ab ſequentis, a qua eſt initium anni undecimi. Ab initio igitur Ab 3161, ad initium Ab 3171, ſunt anni decẽ abſoluti, &, ut diximus, in neomenia Ab 3171 eſt initium anni undecimi. Quomodo igitur Ieremiæ $\overline{\text{I}}$, 3 legimus? *Uſquequo compleretur annus undecimus Sedekiæ filij Joſiæ regis Juda, ad deportationem uſque Jeroſolymorum, menſe quinto.* Vnde factum, ut Ezekielis $\overline{\text{XXXIII}}$, 21, anno $\overline{\text{XII}}$ captivitatis Iechoniæ nuncietur excidiũ templi menſe decimo, id eſt $\overline{\text{V}}$ menſibus poſt excidium. Quod certe mirum. Nam is erat quintus menſis anni $\overline{\text{XI}}$, non $\overline{\text{XII}}$ Sedekiæ. Ideoque recte conceptum eſt tempus regni Sedekiæ, Ierem. $\overline{\text{LII}}$, 5. *Obſeßa fuit Civitas uſque ad undecimum annũ regis Sedekiæ, &c.* Excluditur manifeſto annus undecimus. Atqui initio

UVA. BHSC. SC 10877

initio capitis dixerat undecim annos regnasse, ut II Chron. XXXVI, 11. & II Reg. XXIIII, 18. Quis paracletus hunc nodum solvet? Constat tamen neque prophetam pugnantia loqui, neq; Sedekiam amplius, quam X annos, imo ne solidos quidem regnasse. Ierem. XXXVI, 30, *nullus ex posteris Joakimi sedebit in solio David.* Atqui filius Ioachin ei succedit cap. sequenti. Ibid. cadaver insepultum exponitur inclementiæ cæli, item XXII, 19. Tamen II, Regum XXIIII, 6, Ioakim dormit cum patribus suis. quod non dicitur, nisi de iis, qui in monimentis avitis conduntur. Ieremiæ XXII, 11, Sellum est Ioakim. At I Chron. III, 15, Sellum est frater Ioakim. Inter Ierubaal, (qui & Gedeon.) & Iephthe, unus est Abimelech. Sed I Sam. XII, 11, inter eos est Badan, quem paraphrastes Chaldæus ineptissime Samsonem dicit esse. I Chron. XVIII, 10 Adoram dicitur, qui II Sam. VIII, 10 Ioram. I Chron. III, 5, Abisua filia Ammiel, quæ II Sam. XI, 3, Bethsaba filia Eliam. Ierem. XXVII, 1, diserte Ioakim ponitur filius Iosiæ. Et tamen omnia geruntur sub Sedekia, post Iechoniæ deportationem: ita ut videatur Ioakim pro Sedekia initio capitis positum fuisse. Totum enim illud caput, itemq;

UVA. BHSC. SC 10877

ſequens ad Sedekiam, non ad Ioakimum, pertinet. Neque Iudæi, neque noſtri interpretes hic nobis ſatisfaciunt: ut nec in illo II Reg. VIII, 16. *Anno quinto Ioram filii Achab regis Iſraël,* [*& Ioſaphat regis Iuda*] *regnavit Ioram filius Ioſaphat regis Iuda.* Quis credat regnante Ioſaphat, filium Ioram regnare cæpiſſe, idque anno quinto ipſius Ioſaphat? Nam Ioſaphat annorum XXXV natus regnum inivit. II Chron. XX, 31. Ergo ejus anno quadrageſimo regnare cæpit Ioram filius annos natus XXXII. Et proinde Ioſaphat annos natus VIII genuit Ioram. Has turbas concitant verba illa virgulis incluſa. quæ abundare omnino neceſſe eſt, adeo ut in editione Græca non extent, quamvis agnoſcantur a paraphraſte Chaldæo. Huic ſimile illud II Reg. XXIIII, 8. ubi Ioachin init regnum ann. natus XVIII. At in II Chron. XXXVI, 9, octo tantum annorũ. ut omnino denarii numeri nota hic deſideretur. Nam literis numeralibus, non verbis antiquitus numeri concipiebantur Vnde natum eſt illud I Sam. XIII, 1, בֶּן ..... שָׁנָה שָׁאוּל deeſt enim nota numeralis. Editio Græca, υἱὸς ἐνιαυτοῦ. alii Codices υἱὸς τριάκοντα ἐτῶν. Certe hoc natum eſt ex compendioſa numerorum ſcribendi ratione, quod

niſi

UVA. BHSC. SC 10877

nisi concedamus, quomodo tot varietates & discrimina numerorum excusemus, non video, ut in Indiculo eorum, qui cum Zorobabele in Palæstinam redierunt, cujus duo exempla multum inter se, præsertim in numeris, discrepantia extant Esdræ II per totum, & Nehemiæ VII, a 6 Commate, ad finem. Qui ad antiquarios, & librarios hanc discrepantiam non retulerit, in perplexos argumentorum casses sese induat, necesse est. II Sam. V, 4, David annos natus XXX inivit regnum. Saul regnavit biennium. Ergo ineunte anno primo Saul, David erat annorum absolutorum XXVIII, atque adeo quum Goliath interfecit. Tamen I Sam. XVII, 33, Saul monet Davidem, ne cum Goliath congrediatur, quod puer adhuc esset. Item ibid. 42 puer vocatur. quomodo puer, qui vigesimum nonum annum agebat? Danielis primo, statim initio, anno tertio Ioakim absoluto, ineunte quarto, qui est primus expeditionis Nabuchodonosori, Ieremiæ XXV, 2, Nabuchodonosor expugnatis Ierosolymis vasa Templi, Danielem, & alios proceres in Babyloniam deportavit, propterea quod, victo Nechaone, cui Ioakim tributarius fuit,

UVA. BHSC. SC 10877

quum a Nabuchodonosori tributum sibi imperatum per triennium persolvisset, postea ab eo Ioakim defeciſſet. II, Reg. XXIIII, 1. Rursus quum post annos octo iterum rebellasset, in Babyloniam deportatus est, & ibi, ut Ieremias ait, sepultura asini sepultus. Tamen Ieremias scribens anno IIII Ioakim, cap. XXXVI, 1, 9, nihil tale memorat. Imo minatur se ex Aquilone gentes evocaturũ, quæ totam Palæstinam populabundæ peragraturæ sunt, & Iudæos captivos abducẽt in Babyloniam, unde post LXX annos in patriam redituri sint. quæ manifesto de Iechonia prædicuntur: quanquam de Ioakimi deportatione nihil adjiciat, cujus ipse XXII, 11, 18 meminit. & II Chron. XXXVI, 6 repetitur. Itaque tot ac tanta in scriptura ἀπορα occurrunt, quot, & quanta ne in omnibus quidem exoticæ historiæ scriptoribus animadvertere est. in quorum censum veniant illi XL anni, quos satis mirari non possum, II Sam. XV, 7. item 430 anni moræ in Ægypto Exodi XII, 40. A Iacobi enim in Ægyptũ adventu, ad tempus Exodi, angustius est spatium, quam ut 430 annos expleat. Rursus Genes. XV, 13, tempus afflictionis Hebræorum in Ægypto definitur annorum 400. Afflictionis initium sumendum

esset

UVA. BHSC. SC 10877

esset ab eo tempore, quo omnis generatio, quæ cum Iacobo in Ægyptum descenderat, in vivis esse desiit, ut diserte concipitur Exodi primo, 6. Kaath autem fuit unus ex illis, qui cum Iacobo descenderant. A nativitate ergo Kaath initium afflictionis capi potest, siquidem eum extremo vitæ patris tempore natum fingamus. cujus anni 130 cum 80 annis Mosis componunt annos 210 afflictionis, non 400. Et sane constat pauciores esse, quam 210: quia Amram non videtur natus extremo vitæ patris decursu. Rursus ab excessu Mosis, ad conditum templi, secundum dinumerationem annorum Iudicum, & ἀλλοφύλων. colliguntur anni supra $\overline{\text{D}}$C. Tamen illud intervallum cogitur in ordinẽ, & minore pomœrio finitur $\overline{\text{I}}$Reg. $\overline{\text{VI}}$, 1. ubi tantum 480 anni determinantur. Rursus non solum quot annos Iosua populo præfuerit, ignoratur, sed etiam quantum annorũ ab initio libri Iosuæ, ad finem, interfluxerit: quamvis cap. $\overline{\text{XIIII}}$, 10, 11, Chaleb intervallum ab explorata terra, ad illud tempus, definit annorum $\overline{\text{XLV}}$. Tempora regum Israel, si per se ita, ut in scriptura expressa sunt, cõsiderentur, non idem intervallum colligunt, quod est ab excessu Solomonis, ad casum Oseæ ultimi regum

UVA. BHSC. SC 10877

Iſraël. Cedo ſis, qui explicet illos 450 annos Actorum XIII, 20. Quantus enim anachroniſmus fuerit, poſt terræ diſtributionem peractam, id eſt, poſt annum LXXXVII, Chaleb, & Exodi, uſque ad Samuelem, putare annos CCCCL? An non ſtulti extiterunt, qui propter illum locum multa, quæ certa eſſe conſtat, in dubium revocarunt? in quorum cenſu illi, qui ex verbis Protomartyris Abrahamum extremo vitæ patris tempore natum inſigniore delirio, an inſania, vaticinati ſunt, & ex Beroaldi, viri aliqui pii, ſomniis chronologias ſuas contexuerunt. Quidam (neque exiguus eorum eſt numerus) ne tempore quidem Alexandri Babylonem fuiſſe dicunt, propterea quod Prophetæ vetuſtiſsimi illam ita deletum iri prædixerint, ut ne veſtigium quidem urbis extare quiſquam putaverit. Ejus enim excidium everſioni Gomorræ compararunt, ut in ea Sijm, & ejuſcemodi neſcio quæ animalia fera in ejus deſerto ſolo habitatura teſtentur. Eſaiæ XIII, 19, 20, 21, 22. Ierem. L, 13. 39. Et quidem diſerte ejus plenam deſolationem tangit Eſaias XIIII, 23, 24. XXI, 9. Idem de Damaſco Eſaiæ XVII, 1. Sed & longe acerbiorem cladem Ægypto minatur Ieremias XLIII, 10, 11, 12, 13,

UVA. BHSC. SC 10877

12, 13. Et XLVI, 13, Nabuchodonosor Deos Ægyptiorum Babylonem captivos abducet. Hæc omnia non magis acciderunt, quam quod minatur cap. XLII, 15,16,17 : & XLIIII, 12,13,14, 26, 27 : omnes scilicet perituros, qui ad Waphrem Ægyptiorum regem confugerent. Atqui illi φυγάδες adeo multiplicati sunt in partibus Ægypti intra CCXX plus minus annos, ut Artaxerxes Ochus ἀποδασμὸν μέγαν Ιουδαίων inde in Caspium mare, & Hyrcaniam deportaverit. Ezechielis autem XXIX, 9, 12, totam AEgyptũ omnino desertam, & ab omni cultu humano vastam fore per XL annos spiritus Dei prædicit : ac post illud tempus, ex omnibus tractibus mundi reliquias AEgyptiorum ubique dispectas collectum iri. Quod certe ut nunquam accidisse certo certius est, ita hinc inexhausta Dei misericordia elucesit, qui non semper cladès immittit, aut flagella, quæ per famulos suos Prophetas nationibus intentat. Sed omnia superiora dicta sunt, κατὰ σχῆμα, quod dicitur Hebræis magistris בתנאי, sub conditione, cum exceptione. HAEC ACCIDENT VOBIS, NISI RESIPISCATIS.

UVA. BHSC. SC 10877

Itaque Deus propter justos tempora, & modum dierum contrahit. Matthæi XXIIII, 22. Abutar lectorum patientia, si omnia, quæ huc faciunt, collegero. Sed omnino adi Esaiæ XLVIII, 9. Ieremiæ XXVI, 13, 19. 1 Reg. XXI, 29. & alia infinita loca in scriptura. Atque adeo hac Dei Opt. Max. μακροθυμία contumacissimus ille populus abutebatur. Ezekiel XII, 22. Quæ quum ita sint, tamen eorum nullam rationem habent quidam paracleto prophetico & odio bonarum literarum mentem perculsi, adeo ut non solum ea contigisse putent, sed etiam omnes profanos, ut vocant, scriptores mentiri magna vociferatione deierare audeant. Eorum exemplorum, quæ superius adduximus, alia sunt ἐναντιοφανῆ, alia ὕστερα πρότερα, alia ἀναχρονισμοί. Quæ omnia censenda sunt in illis, quæ veteres patres ἄπορα vocãt: quæ, quatenus captum nostrum superãt, ἄπορα ἢ ἐναντιοφανῆ vocamus, quum tamen in scriptura nihil contrarium sit, sed contrario simile imaginetur inscitia nostra. Quorum igitur solutio commoda, aut paulo tolerabilior dari potest, ea modestæ & sobriæ animæ cõtentæ esse debent, donec meliora adferãt, quibus Deus ea aperuerit. Nam humana vis hic nihil potest. Quorum vero solutio

nulla

UVA. BHSC. SC 10877

nulla dari poteſt, ea potius nos ſilentio præterire oportet, quam confidenti mendacio lectoribus imponere, aut ridiculo commento nos illis traducere, ſed ea modeſtia uti, quam vetuſtiſsimi Iudæi uſurpare ſolebant: qui, ubi dignus vindice nodus interveniebat, ita defungebãtur hocdicto: אֵלִיָּהוּ יְתָרֵץ כֹּל קָשְׁיוֹת וּקְעָיוֹת. Ηλίας ἐπανορθώσει πάντας ἀμηχανα καὶ ἄπορα. *Elias corriget omnia difficilia, & dubia.*

Ne curioſus quære cauſſas omnium,
Quæcunque libris vis prophetarum indidit
Afflata cælo, plena veraci Deo
Nec operta ſacri ſupparo ſilentij
Irrumpere aude, ſed pudenter præteri.
Neſcire velle, quæ Magiſter maximus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

At noſtri Chronologi prophetæ nihil neſciunt, & ſi quid neſciunt, errorem & prophanum calculum vocant.]

Metaſthene] Hoc monſtrum ſcriptoris a Monacho Dominicano Ioh. Annio Viterbienſi confictum fuiſſe, olim indicavimus. Hic fuit primus prophetarum hujus ævi pater ſed nunquam tantæ impudentiæ, ut exoticam hiſtoriam damnaret, ut facit paracletus Chronologorum hodiernorum. Imo, ut doctior videatur, *Pag. A 3. b.*

UVA. BHSC. SC 10877

mendacia sua auctoritate priscorum auctorum firmare conatur. Propterea commentus est Myrsilos, Xenophontas de æquivocis, Metasthenes, & alios nescio quos, qui aut non fuerunt, aut ea non scripserunt, quę planus ille eos scripsisse mẽtitur. Μεγασθένης quidem est priscus auctor a Iosepho in libris adversus Appionẽ productus. Vetus Latina Rufini interpretatio habet Metasthenem. quod est verbum nihili. Non est enim nomen Græcum. Paracletus vero propheticus non potuit pejus consulere existimationi suæ, quam auctorem testẽ producendo, qui non magis in rerum natura fuit, quam Cyrus propheticus, quem Beroaldi paracletus statuit in LXXXI Olympiade. Tam enim iste Metasthenes fuit, quam ille stramentitius Cyrus. Et mirum hunc Metasthenem ab hoc Chronologo produci, qui Beroaldi vestigiis semper insistit, quum Beroaldus ipse non solum eum scriptorem, sed etiam alia Annij deliria damnaverit, si bene memini. Diu enim est, postquam illius Chronologiam legi, qua bibliothecam meam pollui nollem.

Pag. A4. a. *Chronologiam sacram, quæ lux est doctrinæ, & historiæ propheticæ, a mundi exordio, ad Christum, mancã, & imperfectam in sacris literis reliquerit*] Neminem tam perfri-

UVA. BHSC. SC 10877

perfrictæ frontis fuisse puto, qui dixerit, aut scripserit Chronologiam sacram imperfectam esse, quantū meminisse possum. Quod si quis fuit, vapulet. Sed quid iste Chronologus mancā Chronologiam vocat? Hoc ego non intelligo, ut alia quædam loquendi genera prophetica. Tantum vero abest, ut Chronologia sacra ad Christum deducta non sit, ut etiam $\overline{\text{L x x}}$ hebdomadas suas Daniel bello Iudaico diserte terminet, cujus belli exitu Ierosolyma a Tito eversa fuerunt. Itaq; ab initio belli Iudaici, 490 anni retro putati desinunt in secundo anno Darii Nothi. In eo 490 annorum intervallo, Christi quidem excisi mentio fit. sed ad quotam Hebdomadam, aut quotum annum, quotæ hebdomadæ tempus passionis referendum sit, nulla conjectura humana ex verbis Danielis assequi potest: neque certe spes est, neque via ulla, ut unquam assequatur. A secundo anno Darii Nothi, quo posterius edictum de continuando Templi opere emissum est, annus 490 desinit in anno $\overline{\text{I I I}}$ ante Ierosolyma deleta, quod fuit initium tumultus Iudaici, anno prophetico 3996. ad quem a passione Dominica, anni $\overline{\text{x x x I I I}}$ interjecti sunt.

UVA. BHSC. SC 10877

Quod si anno uno amplius esset, quinque hebdomadæ essent a passione, ad finem Hebdomadarum Danielis. Sed sunto v Hebdomades. Earum nulla mentio apud Danielem, sed tantum Hebdomadum 62, 7, 1. quæ intervalla non ad ullam historicam epocham pertinere, sed ex usu loquendi Hebræorũ usurpari olim ostendimus ex Ezekielis xlv, 12: ubi xxv, xx, xv Sicli Minam faciunt: quum uno verbo potuisset dicere lx Siclos Minam componere. Nam in illis numeris neque ullum arcanum, neque ulla logistica proportio est. quia tametsi xx, & xv sint præcisæ partes numeri sexagenarii, tamen xxv non est ejus pars præcisa. Sic anni 434, 49, 7 componunt quidem numerum 490. sed 434. non est pars præcisa eorum, ut 49, 7, quæ præcise 490 metiuntur. Itaque futile est, & nugatorium intervalla 434, 49, 7 ad certas epochas revocare, quum sit merus usus loquendi ex medio sermone Hebræorum petitus. Præterea, quod omni pervicaciæ jugulum petit, 434 anni de anno vero passionis 3962 deducti relinquunt annum propheticum 3472 octavum Artaxerxis Longimani. Cui bono annus octavus Longimani? Ab ejusne Regis annis pendent septua-

UVA. BHSC. SC 10877

ſeptuaginta Hebdomadum initia, qui opus Templi edicto interpellavit, & ſub cujus imperio toto, nihil, quod ad Eccleſiam Dei pertinet, geſtum eſt? Præterea in toto 490 annorum intervallo hæc ſumma tantum continentur, Ieroſolymorum inſtauratio continuata, quæ ſub Longimano interrupta fuerat, expiatio peccatorum per Chriſti cædem, & per eandem conſummatio prophetiæ, ac denique Ieroſolymorum παντελὴς ἐξολόθρευσις. Ab iterata Ieroſolymorum inſtauratione incipit, in eorundem excidio deſinit. Quod elegantiſsime in tria verba conjecit. LXX *Hebdomades determinatæ ſunt ſuper populo tuo, & ſancta urbe tua.* Vnde horum initium? מִן מוֹצָא דָבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלִַם: *a pronunciatione edicti, de Ieroſolymis iterato ædificandis.* Inſtauratio Ieroſolymorum cæpta ſub Cyro, continuata ſub Cambyſe, Smerde, Dario Hyſtaſpida, Xerxe. interpellata ſub Longimano. iterata anno ſecundo Darii Nothi. Si igitur ab iterata inſtauratione Ieroſolymorum initium Hebdomadarum capiendum eſt, inſtauratio autem iterata eſt anno II Darii Nothi: ergo a ſecundo anno Darii initium Hebdomadarum inſtituendum. Quemadmodum paracletus Beroaldinus hæc aſſe-

UVA. BHSC. SC 10877

assecutus non est, ita adversus hæc nihil, præter deliria prophetarum Chronologorum, & Viterbienses fabulas, opponere potest. Nam quid clarius, simplicius, elegantius hac expositione? Quod ergo Chronologus dicit, magnam injuriam fieri Chronolgoiæ sacræ, quod imperfecta vocetur, quæ tamen nullius opis externæ indiget: quæro ex eo, etiam si exploratum habuerit Christum passum anno prophetico 3961, quomodo interuallum a passione, ad hunc annum, definiri poterit, nisi ipso anno passionis prius cognito? quem sane sine charactere & adjumentis extra sacram scripturam petitis sciri non posse, uel ipsius exemplo vincam, qui falso annum passionis ad 3961 propheticum annum retulit, quum Christus sequenti passus sit: quæ hallucinatio pendet ex ignoratione characteris. Sed ponamus passionis annum ab eo ignoratum non esse. quomodo poterit designare intervallum a capto Sedekia, ad annum passionis? Nam id plane negamus in scriptura ita expresse conceptum extare, ut nullum dubium relinquatur. Nos adversus doctrinæ Beroaldinæ paracletum audacter pronunciamus omnem Chronologiam cæcam esse si-

ne

UVA. BHSC. SC 10877

ne characteris lumine, mancam sine aliarum historiarum comparatione: prophetas autem Beroaldinos, & Viterbienses strenue delirare, qui præter insciti am, & pertinaciam, quod veræ doctrinæ opponant, non habent.

Et prodesse volunt, & delectare poëtæ] Neutrum in hac Chronologia reperies. *Pag. A. 4 b.*

Qui vero Græcam versionem LXX *interpretum sectantur, ut Eusebius, Græci, & Latini patres fere omnes annis 684*] Confidentius, quam verius, dictum. Eusebius, Græcorum melior pars, & Latini 586: Africanus 606. quem sequuntur Nicephorus Patriarcha, Fasti Siculi, Honorius Augustodunensis, alij, quorum nunc non succurrit. *Ibidem.*

Patres nimirum ante diluvium mensibus, & annis Chaldaicis] Nemo profecto hoc ante nos animadvertit: & nisi indicassemus, hodie ejus rei altum silentium esset. Tantum abest, ut paracletus Metasthenis ea divinare potuerit. *Pag. B 1. a.*

Alexander, qui primis Judæis Atticum Luna- rem annum imposuit] Quid? Iudæi ante Alexandrum anno Lunari non utebantur? Quid hoc monstri est? Quid Alexandro cum anno Lunari Attico? Si dixisset annum Lunarem *Ibidem.*

UVA. BHSC. SC 10877

Macedonicum, aliquid verisimile quidem, sed tamen non verum, dixisset. Alexander enim erat Macedo, non Athenienſis. Vt Iudæi annis Lunaribus uterẽtur, non opus illis fuit legiſlatore Macedone, ut qui a Moſe, idq; juſſu Dei, præceptum de anno Lunari in uſus civiles admittendo acceperunt. Exodi XII, 2. Pſalmo LXXXI, 5, 6. Conſulenda ſunt prolegomena in Canones Iſagogicos, item caput de doctrina anni Chaldaici lib. 3. Iſag. Can. ubi de duplici anno veterum Hebræorum abunde diſputatur.

Ibidem. *Tales etiam annos Ptolomæus a Nabonaßaro*] Hæc tirocinium plane redolent. Non ſolum Ptolemæus, ſed omnis Aſtrologorum natio tam ante, quam poſt Ptolemæum, annis Ægyptiacis utuntur, quia primi Aſtrologi, qui Græce ſcripſerunt, propterea quod in Ægypto ſcribebant, ad Ægyptiorum civiles dies tempora obſervationum accommodabant: quos ſecuti poſteriores Græci, etiam qui Romæ ſcribebant, menſes Ægyptiacos, & modum anni ſine quadrante retinuerunt. Epocha autem Nabonaſſari utuntur, quia omnes vetuſtiſsimas obſervationes a Chaldæis habent, Chaldæi autem eas a ſola Nabonaſſari epocha repetunt: non utique qnod Nabonaſſar

UVA. BHSC. SC 10877

bonaſſar Ægyptiis aut Græcis imperarit, aut eam anni formã aliis nationibus indixerit, quum ea Ægyptii uterentur pluſquam duobus millibus annorum ante Nabonaſſarum. Neque minus tirocinium ſapit, quod ſequitur, Ægyptiorum annum per omnia eundẽ fuiſſe cum Chaldaico. Modus quidem anni idem fuit, dierum CCCLXV ſine appendice quadrãtis. Sed Chaldęi, Perſæ, Armenij, Hebræi poſt CXX annos mẽſem unum intercalabant. quod Ægyptii adeo execrati ſunt, ut quotannis publica deteſtatione ſeſe devotarent, ne menſem poſt CXX annos, aut diem poſt quadriennium, intercalarent.

Totum hoc intervallum, ipſumque mundi & Chronologiæ exordium a prophanis hiſtoricis ignorari] Perinde Hebraica a profanis ignorari neceſſe eſt, ut profana ab Hebræis. Nam tempore Maccabæorum, etiam ſi ponamus tunc intervallum ab Adam, ad excidium Templi, exploratum fuiſſe, tamen de eo, quod interfluxit ab excidio Templi, ad primum annum ſacerdotij Iudæ Maccabæi, doctiſsimus aliquis Iudæus illius ſæculi conſultus nihilo certius pronunciare potuiſſet, quam quivis Hyperboreus, aut Scytha. Contra, Eratoſthenes de excidio Templi *Pag. B. 1. b.*

UVA. BHSC. SC 10877

interrogatus, si prius sciisset id XIX anno Nabuchodonosori contigisse, is ex Berosso, Chaldæis observationibus, & Phœnicum annalibus, constanter, sine ulla hæsitatione, sine errore ullo pronunciasset illud accidisse ãno III ineunte Olympiadis XLVII. quod neque Iudas Maccabæus neq; alius illius sæculi tractuum Iudæus, quantũvis historiæ sacræ peritus, præstare potuisset, nedum Beroaldinus ullus hujus ævi propheta. Eratosthenes, & docti illi veteres tam Critici, quam astronomi, id divinassent, quod Iudæorum pluris intererat scire, quã pagani hominis, & melius, quã paganum. Id verohomines bonarum literarum & exoticæ historię hostes, sine externis adjumẽtis, ex nudis scripturę testimoniis se assequi posse gloriabuntur? nõ persuadebunt nobis.

Sed hoc intervallum ex ignorato Olympiadum numero] Quid (malum) ignorato? quid audio? Intervallum a prima Olympiade, ad Alexandrum Magnum, ignoratum esse? Hoc Marrucini credẽt, non homines liberalis ingenii. Vtinam tam exploratum esset illud 430 ann. moræ in Ægypto. Nos vero hoc cõstanter affirmamus, neq; in sacra scriptura, neq; in historia exotica ullum intervallum melius exploratum esse, quam illud a prima Olympiade, ad Alexandrum, & hinc

Ibidem.

UVA. BHSC. SC 10877

ad epocham Antiochenorum Iulianam, quod quidē tanti est, ut quicquid nobis ab Exodo, ad templi excidium, in historia sacra cōpertum est, totum illi intervallo acceptū referri debeat. Excidium Templi sine $\overline{\text{XIX}}$ anno Nabuchodonosori prehendi nō potest: ut neq; is annus sine epocha Nabopollassari patris ejus, neq; epocha Nabopollassari, sine Thoth Nabonassari, neq; Thoth Nabonassari sine observationibus Chaldaicis, neq; illæ a Græcis tractari possunt, sine intervallis Olympiacis. Itaq; Beroaldini nudi parmaq; inglorii alba sese cum armatis historiarum peritissimis cōponere non verebuntur, hoc dicto illos submoventes, ἐκὰς ἐκὰς ἔστε βέβηλοι. Ideone nobis rejicienda erunt, quæ Deus Opt. Max. tanquam præsidia ad historiæ sacræ cognitionē nobis reliquit? quid aliud faciebāt, qui carnibus, qui conjugio abstinebant, tanquā a Deo dānata essent, se autē continentes, puros, sacros vocabant? quid aliud volunt, qui profana omnia vocant, quā ut solos se sacros, alios impuros, esse arbitrentur? Itaque quia nihil in Chronologia probant, nisi quod ἐν τῷ πρώτῳ τῆς γραφῆς reperitur, quid supereſt, nisi ut Adamitæ sint, & nudi incedant, ficulneis foliis, aut scorteis subligaribus succincti?

UVA. BHSC. SC 10877

Multum ſibi placet de nugatorio commento anni 85 ætatis Abrahami, quo ait promiſsionem a Deo factam, quia tunc pactum inter Deum, & Abrahamum initum eſt. a pacto autem initium annorum 430 capiendum eſſe, quorum mentio Exodi XII,40. Quod an conſtare poſsit, videamus. Pactum eſt בְּרִית σωθήκη, ſiue διαθήκη, ut LXX vertunt. Sed ſive σωθήκη, ſive διαθήκη, quæ inter Deum, & Abrahamum conventa eſt, ea nihil aliud eſt, quam ἐπαγγελία. Pſalm. CV, 8, 9, 10, 11. Galat. III, 16, 18, 19. Ea quater diverſis temporibus facta eſt. primo, anno Abrahami LXXV, Geneſ. XII, 2, 3, 7. Secundo, inter LXXV, & LXXXV annum Abrahami Gen. XV, 7. Nehem. IX, 8, convenienter loco Geneſ. XV, 18, 19, 20, 21. ubi ſancitur cæſis & porrectis hoſtiarum, quæ Græcis τόμια ὅρκια dicuntur, Patribus autem διχοτομήματα. & eodem Cap. XV, 9, 10. vocatur בְּרִית pactum, σωθήκη. Tertio inſtaurata eſt anno Abrahami XCIX. Geneſeos XVII, 1, 2, 7, 8. atque iterum vocatur בְּרִית. quo nomine ibidem inſtitutum περιτομῆς comprehenditur. Quarto iteratur Geneſ. XXII, 16, 17, 18, jure jurando adhibito. Itaque Capitib. XV, XVII, XXII, nihil innovatur, quominus ἐπαγγελία ſit διαθήκη

UVA. BHSC. SC 10877

θήκην, tametſi primæ inſtaurationi τόμια acceſſerint, ſecundæ inſtitutum περιτομῆς, tertiæ ſacrificium holocauſtum cum jurejurando Dei. Si enim illæ appendices, τόμια ſcilicet, περιτομὴ, holocauſtum cum jurejurando digna ſunt, ut ab illarum una initium eorum annorum 430 capiatur, prius diſceptandum fuerit τὰ τόμια præſtantiora ne ſint, quam ἡ περιτομὴ, & ἡ περιτομὴ, quam juſiurandum Dei. & nulla finis fuerit altercandi. Addo, quod ſequeretur res abſurda, ut pactum primo loco factum minus habeat ponderis, quam id, quod ſecundo factum eſt: quaſi quod ſemel Deus dixit, irritum ſit, niſi dicis cauſſa externis ceremoniis muniatur. Igitur acceſsiones illæ τῶν τομίων, ἡ περιτομῆς, τῷ ὅρκου, ſunt ἐπιπυρώματα ἡ ἐπαγγελίας non ἀρχή. Ita interpretatur Paulus Apoſtolus, ita Ioſephus, ita omnes Iudæi tam veteres, quam recentiores. Propterea veteres Patres, in quibus Euſebius, annum Abrahami LXXV vocant ἔτος ἐπαγγελίας, Hieronymus annum repromiſsionis. Ab anno igitur ἐπαγγελίας, hoc eſt, LXXV ætatis Abrahami, initium annorũ 430 capiendum. Dupliciter igitur errat Chronologus: Primo, quod putat annorum 430 initium deducendum eſſe ἀπὸ τῆς διχοτομημάτων, quibus

UVA. BHSC. SC 10877

pactum inter Deum & Abrahamum ſancitum eſt, quia, inquit, nunquam mentio fit pacti ante ἀκροτομήματα. quaſi hoc pactũ aliud ſit ab eo, quod Cap. XII factum eſt, aut aliud, quam ἐπαγγελία. quod diſerte exponitur ab Apoſtolo Galat, III, 6, uſque ad 20. Nam ibi reperies pactum illud nihil aliud eſſe, præter ἐπαγγελίαν. ubi præterea citantur verba ex tribus illis capitibus XII, XV, XVII: ut omnino una eademque res ſit, quæ in illis tribus tractatur: & ſatis ſit initium capere a promiſsione primo loco facta, non ab ea, quæ Cap. XV habetur: quum ea nihil aliud ſit, quam ὕστερος τὸ πρότερας. Alter error eſt ridiculus, quod τῶν ἀκροβυστιῶν hiſtoriam conjicit in annũ LXXXV Abrahami. quo ſerio triumphat, idq; duobus validiſsimis argumentis ſe firmaſſe arbitratur. primo, quod Cap. XVI, 3, expreſſum ſit, *decimo anno, poſtquam habitavit Abraham in terra Chanaan.* Secundo, quod nunquam pacti mentionem factam ait ante ἀκροτόμων τῆς ὀρκίων. Vtramque rationem futiliſsimam eſſe aliqua ex parte animadverti poteſt ex iis, quæ antea diſputavimus. Nam poſterior ratio confutata eſt. Prior vero conſtare non poteſt, quia ſecunda ἐπαγγελία facta eſt ante illud decennium, inter annum

Abra-

UVA. BHSC. SC 10877

Abrahami LXXV, & LXXXV, ut antea monuimus. ita ut incertum sit, quo anno ætatis Abrahami inita sit, LXXVIII, aut LXXX, aut alio. Certe anno LXXXV fieri potuisse non concedet, nisi qui gesta Capitis XV cum gestis XVI confundere voluerit. Quam ridiculum enim putare gesta Cap. XV in tempus Capitis XVI conijcere, quod in eo anni decimi mentio fiat, postquam Abraham terram Chananæorum ingressus est? Hoc modo Ioseph Patriarcha fuerit annorum XXX Genes. XL, quia Capite XLI, 46, totidem annorum est. Vana igitur est καύχησις de illo imaginario decennio.

Solus articulus antepenultimus de natali anno Abrahami quæstionem gravem habet] De natali anno Abrahami nemo ante Beroaldum quicquam sciscere ausus est. Is primus, ut locum Stephani Actor. VII, 4, qui pugnare cum verbis Mosis videtur, illustraret, miro commento negotium explicare conatus est. Stephanus enim ait Abrahamum post mortem patris Tharæ ex Charran migrasse, quum esset annorum LXXV. quod si Abraham natus est anno patris sui LXX, ut colligitur Genes. XI, 26: ergo Thara erat annorum CXLV, quum Abraham ageret

UVA. BHSC. SC 10877

annū ætatis ſuæ LXXV. Sed Thara vixit ann. CCV. Igitur Abraham non migravit ex Charran anno ætatis ſuæ LXXV, ſiquidem natus eſt anno LXX patris, & annum LXXV explevit poſt mortem ejus. Quid ergo faciendum, ut Abraham natus annos LXXV poſt CCV annos vitæ patris ſui ex Charran diſcedat? omnino huic dubio nemo veterum occurrere ita potuit, ut lectori ſatisfaceret, præſertim Auguſtinus lib. XVI de Civit. Sed Beroaldus nodum maluit ſcindere, quam ſolvere. Finxit enim Abrahamum natum anno patris ſui CXXX, atque habitaſſe in Charran uſque ad ſupremum diem patris. Obſtat commento, quod Abraham primo loco genitus eſt, ut qui primus fratrū nominetur. Itaq; natus eſt LXX patris ſui anno. Hoc ille ita diluit, ut dicat Abrahamum non genituræ prærogativa primum vocari, ſed pietatis ratione. quod ut ſtultiſsimū & futiliſsimū eſt, ita nullo negotio infra cōfutabitur. Sed & illud omnē pervicaciam expugnaverit, quod Deus præcepit Abrahamo diſcedere ex Vr Chaldæorum, ut ſtatim in terram Chananæorum contenderet, non ut in Charran reſideret. Stephanus: ὁ Θεὸς δ' ἀλόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Αβραὰμ ὄντι τῇ Μεσοποταμίᾳ (nempe ἐν τῇ Οὖρ Χαλδαίων πρὶν κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαρράν.

Vult

Vult Abrahamum aliquod tempus in Charran moratum esse. Sed Iudæi dicunt patrem Tharam illectum amœnitate loci in Charran mansisse, neque filium sequi voluisse. Stephano, & Iudæis interpretibus in hoc convenit, quod Genes. XII, 1, præceptum de migrando datum est Abrahamo, non Tharæ. & certe verum est. Nam illud, *Exi ex terra tua, & ex loco nativitatis tuæ*, non potest referri ad Charran. Non enim natus est in Charran, sed in Vr Chaldæorum. Hæc est mens verborum Stephani, quę supra adduximus. Quare Comma illud primum Capitis XII, pertinet ad finem antecedentis, & est ὑστερον πρότερον. Si igitur præceptum datũ est Abrahamo, non Tharæ, nihil antiquius Abrahamo esse debuit, quam in illam terram contendere, quam illi Deus indicaverat. Aliter non paruisset mandato Dei. Relicto igitur patre in Charran & assumpto Lot, iuxta mandatum Dei, nulla interposita mora, in Chananæorũ fines abijt. Nã quod dicitur, Thara assumpto filio Abram & Lot egressus est Vr, hoc non eo pertinet, ut mandatum accepisse videatur. Sed quia ipse erat pater familias, ideo migrationis negotium illi adscribitur, non filio familias Abrahamo. Obstare quoque videtur, quod dicitur totam familiam habitasse in Char-

UVA. BHSC. SC 10877

ran. Ideo & Abraham videtur una cum patre habitasse in Charran, ut Stephanus etiam diserte indicauit. Sed ex consequentibus non obscure colligitur Abrahamo præceptum datum, non ut in Charran habitaret, sed ut in Chaldæorum regionem sese conferret. Longe inexplicabilius, quod protomartyr adjicit, quod post mortem patris ex Charran migraverit, quæ crux est fixa omnibus interpretibus. Itaque nihil aliud possumus, quã Eliam expectare, qui nodum solvat. Nam Abrahamum minimum natu fratrum fuisse non persuadebit Beroaldus, nisi iis, qui verum dignoscere falso nesciunt. Hoc ex sequenti animadversione constabit.

Pag B.2.b *Nominatur vero Abraham primo loco, non genituræ, sed dignitatis ratione*] Quis unquam legit vel in sacris, vel in exoticis scriptis, filios aliter recenseri, quam genituræ ordine? Si dixero, Priamus genuit Astyanacta, Parin, Hectora, quid aliud, quã risum debebo? Certe scriptura nunquam aliter filios numerat, quam ut quenque natura in lucem edidit: ut 1 Chron. II, 13. IX, 36. 1 Samuel. XVI, 10: & deinceps Genes. XXI, 21, 23, XXV, 13. 1 Chron. I, 29, VIII, 39. Genes. XXXV, 23. XXXVI, 10, 15, & XLVI omnes filii Iacob secundum genituræ tempus recensentur. primo quatuor ex Lea: secundo

ſecundo duo ex Bala: tertio duo ex Zelpha: quarto duo ex Lea: quinto duo ex Rachel, prout naturæ ordo eos protulit. Atque adeo licet Ruben jus primogeniti amiſit, tamen jure naturæ primo loco nominatur, 1 Chron. VI. Qui locus jugulum petit huic ſtultiſsimo Beroaldi commento de prærogativa pietatis. quod ſine riſu nemo, qui aliquo judicio præditus ſit, meminiſſe poteſt. Quin etiam ſcriptura alibi nō ſolum primogenitum primo loco ponit, ſed etiam quis ſit primus, quis ſecundus, quis tertiius, deſignat 1 Samuel. I I I, 2, 3. & ibid. 15. & 1 Chron, VI. 28. item clarius VIII, 1, 2, 3. item ibid. 30, 39. XXIII, 19. item 20. item major frater, & minor. 1 Sam. XIIII, 49. 1 Sam. XVII, 13. Denique primogeniti primo loco ponuntur jure divino, jure gentium, non præpoſtero, ut nimis confidenter Beroaldus commētus eſt, adeo ut ineptiſsimum illud plaſma non in hiſtoria tantum, ſed & in Theologia multum auctoritatis ſibi quæſiverit. Sed glorioſus aliquis exclamare poſſet.

Ite triumphales circum mea tempora lauri.
Decidit in caſſes præda petita meos.

Certe profligatum eſt mendacium, & Abraham primo loco natus eſt, Nachor ſecūdo, Arā tertio.

UVA. BHSC. SC 10877

Vanum vanū eſt commẽtum Beroaldi, vanius eorum judicium, quos vana movẽt. Abrahã igitur natus eſt anno ætatis Tharæ LXX, venit in Charran anno ætatis ſuæ LXXV, patris CXLV. pater obijt natus annos CCV, LX annis poſtquã Abraham eum reliquit in Charran. Hæc ita perſpicua ſunt, ut pertinaciæ locus non ſit. Sed obſtat locus Stephani κατὰ τὸ ῥητὸν pugnans cum verbis Moſis. κατὰ τὸ ῥητὸν pugnare hoc vero negari nõ poteſt. ſed κατὰ τὸ νοητὸν nihil pugnat in ſcriptura. Tantum ſuſpendendum eſt judicium, donec veniat Elias aliquis meliore, quã Beroaldinorum, paracleto afflatus, qui dubium ſoluat. Non enim mendacijs veritas illuſtratur Loco Stephani ſimilis eſt ille Matthæi I, 11. *Joſias genuit Iechoniam, & fratres eius in deportatione Babylonis.* Quis non fruſtra hunc nodum conatus eſt ſoluere? Quis Propheta hoc præſtabit?

Pag. B. 2. b *Nec tamen Sem, ſed Iaphet primo genitum fuiſſe conſtat*] Hæc nugatoria ex ſuperioribus ſatis confutantur. Hunc enim ordinem filij in ſcriptura habent, quem illis natura dedit. Sed quanquam ſobria & modeſta ingenia quid ſuperioribus opponãt, non habẽt, tamẽ, ne quẽ locum querulis relinquamus, hæc demonſtrabimus. Iudæi Sem primogenitum non fuiſſe hoc argumento colligunt

UVA. BHSC. SC 10877

ligunt. Abraham annos natus $\overline{D}$ genuit Sem, Cham, Iaphet. Geneſ. $\overline{V}$, 32. Sem anno ſecundo a Diluvio ānos natus $\overline{C}$ genuit Arphaxad. Anno igitur Noa $\overline{DCII}$ Sem erat tantum $\overline{C}$ annorum, & proinde unus ex duobus reliquis filijs erat $\overline{CII}$ ānorum quando Sem erat tantum $\overline{C}$. Igitur Sem nō erat primus natu fratrum. Elenchus in promptu eſt tam ex demōſtratione, quā ex verbis Moſis. Demonſtratio hæc eſt Noa vixit annos 950, de quibus 350 vixit poſt diluvium. Deductis 350 de 950, remanet annus Noæ 600 poſt diluvium. Ergo diluvium inivit anno Noæ 599, non autē 600. ut hactenus omnes putarūt. Quod ſane veriſimum eſt. Itaque anno Noæ 601 ineunte Sem genuit Arphaxad annos natus centum, centeſimo anno abſoluto, poſtquam pater eius cæpit generare. Quare ſi Noa ānorum $\overline{D}$ erat, quum cæpit generare, & filius eius ānorum $\overline{C}$ cæpit generare anno patris ſui $\overline{DCI}$ ineunte, nullus ergo filius Noæ natus eſt ante Sem. Propterea errant, qui natalē Arphaxad ſtatuunt anno Mundi 1658 ætatis Noæ 602. Futile igitur argumentum Iudaicum. Ex verbis autem Moſis adeo illa fabula confutatur, ut mirer diligentiſsimos harum rerum inveſtigatores Iudæos eo ſolo Moſis teſtimonio ab inanibus quæſtionibus deterritos nō

UVA. BHSC. SC 10877

fuisse. Nam Genes. x, 21, Sem dicitur maior frater Iaphethi. Tertius frater habet duos priores se, primum, secundum. & quidē primus semper dicitur major frater tertii, quia est major duorum, qui tertio priores sunt. Quare enim non dixit potius major frater Chami, quam major frater Iaphethi? Quia nimirum tertius habet duos fratres ante se, quorum maior is est, qui natu primus est. Sic in Gallia loquimur, ut tertii maior frater dicatur is, qui natus primo loco est, quanquam secundus est maior tertio. Semus igitur maior minimo Iaphetho dicitur potius, quam Chamus, quia Chamus est maior Semo. Sed obstat Genes. ix, 24. quando rescivit quod filius minor sibi fecerat. Filium minorē intelligūt Cham, quia is est, qui fratribus infamiam patris prodidit. Itaq;, inquiunt, Cham est minimus natu, Iapheth primus, Sem secundus. *Credat Iudæus Apella.* quid fecit Cham patri suo? Nihil. Tātum fratribus de patris probro nuncius fuit. Atqui scriptura diserte dicit nescio quid Noæ a minore filio factum, propter quod Noa in maledictionē eruperit. Experrectus enim vidit quod sibi minor filius fecerat. quod quidem scriptura non exprimit, sed tamen constat factum esse, ut elegānter monet doctissimus Aben Ezra, propter

aliquot

UVA. BHSC. SC 10877

aliquot enim factum maledictio emissa est, non quod Cham pudenda patris viderat. Id enim experrectus ipse rescire non potuit. Si enim Cham aliquid feciſſet, in eum competebat maledictio. Sed in Chanaan districta est illa. Chanaan igitur fecit: atque adeo is ipse est, qui dicitur minor frater. Tam enim nepotes dicuntur filij avi, quam filij ipsi etiam in jure Romano, quod liberorum nomine cõplectitur filios, nepotes, pronepotes, abnepotes. Hebræi eos vocant בָּנִים הַקְּטַנִּים *filios minores*. Itaque in sermone Hebræo avus nepotẽ suum vocat minorẽ filium: ut contra filij familias filios fratrũ fratres vocãt. unde Genes. XIIII, 14 Lotus Abrahami frater dicitur, qui tantum erat filius fratris, quem potius ἀδελφιδοῦν, quã ἀδελφὸν Græcus vocaret. Concludamus; Genes. IX, 24 minor filius Noæ est Chanaan, non Cham eius pater. Sententiæ nostræ Theodoritum vindicemus: ἐπιδὴ δὲ καὶ ἐκγόνους υἱοὺς ἀεὶ λέγουσιν οἱ πάππους καὶ τοὺς μακρόθεν ἀπογόνους, τὸν βραχύτατον τῶν ἐκγόνων τοῦ Χαναὰν ἔλεγεν ἡ γραφὴ ἐγνῶκως περὶ τοῦ Νῶε, ὅτι ἀυτὸς ἐποίησε ταῦτα. Conclamatum igitur commentum Beroaldinum de Abraham minimo natu fratrum, & de Cham. Quid igitur superest sacro calculo, quam ut alia com-

UVA. BHSC. SC 10877

miniſcatur, quibus oracula ſua muniat, quandoquidem & Abraham & Sem maximi fratrum ſuorum probati ſunt? Non parum præſtitimus, qui hæc monſtra confecimus, propter quæ prophetæ cornua tollebant, & Abrahamum centeſimo trigeſimo anno patris ſui Tharæ natum eſſe ſibi, & levioribus ingeniis, perſuadebant.

Pag B.3.a *Definitur hoc intervallum quater in ſcripturis Geneſ. 15, 13 &*] Atqui Geneſ. $\overline{\text{xv}}$, 13, non definitur annorum 430, ſed 400 duntaxat. Non enim ibi agitur de mora ſolida, quam Hebræi in Ægypto fecerunt, ſed de tempore male tractationis, & duræ ſervitutis, quam poſt mortem eorum, qui cum Iacob patriarcha in Ægyptum deſcenderant, perpeſsi ſunt. quod tempus minus eſſe 217 ſupra oſtendimus. Hoc ἄπορον quoque Eliam expectat.

Ibidem. *Neque ante id tempus ulla fœderis initi & confirmati cum Abrahamo legitur facta mentio*] Quam puerilia ſunt hæc, ex ſuperioribus a nobis demonſtratis apertius eſt, quam ut hic repetantur. Nam in Capite $\overline{\text{xv}}$ quid vocatur διαθήκη, præter ἐπαγγελίαν? quod ſatis docuit Apoſtolus $\overline{\text{iii}}$ Galat. Iam Cap. $\overline{\text{xii}}$, ἐπαγγελία facta erat, quando Abraham relicto patre Thara in Charã, inde egreſſus prorenus in Chananæorum fines profectus eſt.

Quid

UVA. BHSC. SC 10877

Quid enim iocularius est, quam putare ἐπαγγελίαν non valuisse antequam ἐπαγγελία vocaretur, quasi nomina mutent substantias rerum?

Sed decennio post anno ætatis ejus 85] Iam hujus nugatorii somnii vanitatem elusimus. Iteratio enim τῆς ἐπαγγελίας, quæ μετὰ τὴν τομὴν ὁρκίων celebrata est, contigit ante L XXXV annum Abrahami. Quę enim gesta sunt a cap. XII, ad cap. XVI, hoc est, ab anno LXXV Abrahami, ad annum ejus LXXXV, quid vetat biennio, triennio, aut quadriēnio ante transacta fuisse? Certe quemadmodum ignoramus, quantum temporis interfluxit inter cap. XII, 4, & XV, 13, ita certo affirmare possumus totum illud intervallum minus esse decennio, utpote quod ante LXXXV annum Abrahami præterierit. Et fortasse, ut jam diximus, minus triennio: aut quadriennio potuit esse. Vanissima igitur, vanissima, inquam, de decennio hæc confidentia. *Ilidem.*

Joseph patri supervixit annos LIII] Hoc sane verum est. Sed quot annis ante natalem Mosis obierit unde colligamus, nulla ratio iniri potest, nisi prius deprehenso initio horum 430 annorū. Hoc initium quia ex scriptura demonstrari non potest, neque ulla conjectura erui, auctoritas & consensus veterum pro demonstratione esse de- *Pag B.3.b*

UVA. BHSC. SC 10877

bet: ut nimirum illud ſumatur a LXXV anno Abrahami: a quo, ad natalem Iſaac, anni ſunt XXV. inde ad natalem Iacob, LX. hinc ad deſcenſum ejus in Ægyptum, CXXX. Summa ἀπὸ ἔτους ἐπαγγελίας, ad deſcenſum Iacob, anni CCXV præciſe. Hinc ad obitum Ioſeph LXX. Summa, ἀπὸ ἔτους ἐπαγγελίας, ad exceſſum Ioſeph, anni CCLXXXV. Iam ἀπὸ ἔτους ἐπαγγελίας, ad natum Moſem, anni ſunt CCCL. de quibus deductis CCLXXXV, remanet intervallum inter obitum Ioſephi, & natalē Moſis, anni LXV. Quod ſi, ut fabula vult de imaginario decennio, initium horum 430 annorum ab anno LXXXV Abrahaam capiatur, intervallum illud fuerit LXXV. Sed nænia de decennii cōmento profligata, actum eſt de LXXV illis annis, quos ſane in cenſum primogenituræ Iapheth Beroaldinæ, ponere poſſumus.

Pag. B.4.a *A fundato templo Solomonico, ad deportationem Jechoniæ in Babylonem, currunt anni regum* 401] Nemo, præter hunc, adverſus fidem hiſtoriæ regum Iuda annos mutilavit quod cur fecerit, neque ipſe cauſſam aperuit, neque ego ullam comminiſci poſſum. Hoc tam temerarium factum ſuperius a nobis confutatum eſt. Quod vero ait, ſi anni Regum Iuda ſimpliciter a fundato templo colli-

UVA. BHSC. SC 10877

colligantur, numerum videri aliquãto majorem annis 418, cum menſibus ſex, non aſſequor. Nos contra dicimus, ſi anni Regum colligantur ita, ut concepti extant in libris Regum, omnino cõſurgere annos 427 præciſe. Sed de hoc antea ſatis ſuperque.

Quod ait Olympiadum initium incertum eſſe, idque Scaligero fatente, hæc quidem vis eſt: neque patiemur hanc injuriam nobis fieri, ut tam aſininæ ſententiæ auctores eſſe, &, quod caput eſt, id in literas retuliſſe dicamur. Non ita Beroaldini ſumus, neque in ullius paracleti verba juravimus. Qui Latine intelligit, is ex verbis noſtris nihil aliud colliget, quam Hiſtoricum non liberare fidem ſuam, qui nude ſcribit illius Olympiadis illo anno aliquid geſtum eſſe, niſi characterem ſemper, quantum fieri poteſt, adhibuerit. Exempli gratia: Anno quarto Olympiadis $\overline{\text{CCII}}$ paſſus eſt MESSIAS. Is annus inivit a diebus æſtivis anni prophetici 3961, in quem iſte Chronologus tempus paſsionis cõtulit, ita ut juxta illium Chriſtus paſſus ſit in Paſchate anni 3961. Atqui duo refragãtur: primum hypotheſis, deinde character. Secundum hypotheſin, quę ponit paſsũ anno $\overline{\text{IIII}}$ Olymp. CCII. *Idem.*

UVA. BHSC. SC 10877

idque in Pascha, passus necessario est anno prophetico 3962, qui pertinet ad annum propositum quartum Olymp. CCII, usque ad dies æstivos. Iuxta characterem peccatum est, quod Nisan, in quo passus est Christus, inivit a Sabbato. At Nisan anni prophetici 3961, inivit a feria tertia. Non igitur passus est anno 3961. Ideo historicus, aut Chronologus, fidem suam non liberat, quod ait passum anno illo Iuliano, in cujus diebus æstivis inivit annus IIII Olymp. CCII. Quia enim characterem illius Nisan non consuluit, ideo fœde & prophetice, atque adeo Beroaldine lapsus est. Hic fuit animi noltri & verborũ nostrorum sensus, quem non potui opportunius exponere, quam ejus insignem errorem confutando. Negare initium Olympiadum exploratum esse, non est ejus, qui totam rationem temporum ex alta oblivione eruit, & a prophetarum tyrannide vindicavit. Hoc negare est eorum, qui exoticos scriptores nunquam verum dixisse magna nugarum pompa & strepitu vociferantur. Porro eundẽ errorẽ incurrit Eusebius, qui temporis passionis conjecit in numerum MM XLVIII, in cujus diebus æstivis inivit annus IIII Olympiad. CCII. quod negari non potest. Sed in sequenti numero MM XLIX passus est, qui pertinebat

UVA. BHSC. SC 10877

bat ad illum $\overline{\text{IIII}}$ annum Olymp. $\overline{\text{CC II}}$, usq; ad dies æstivos. Itaque Eusebius non liberat fidem, neq; officium suum explet, quod annum $\overline{\text{repræ-}}$ sentavit, in quo inivit annus $\overline{\text{IIII}}$ Olymp. $\overline{\text{CC II}}$. Sed hallucinatus est, quod, quũ adhibito charactere Nisan, Christum fuisse anno sequenti passum deprehendere potuisset, hoc ignorato, ἀφορισμῷ unius anni cõmisit. Et existent, qui audebunt dicere nos de initio Olympiadũ dubitasse? Hoc relinquimus Beroaldistis, & Marrucinis.

De natali Vrbis puerilis velitatio est. Vnius enim anni discrimen est inter Varronem, & Catonem, qui uno anno serius, quam Varro, prima Palilia ponit, anno prophetico 3178. Dionysius Halicarnassensis anno primo septimæ Olympiadis, quæ inivit diebus æstivis ejusdem anni prophetici 3178, ubi eundem errorem commisit, quem Chronologus in anno passionis. Si enim Palilibus Roma condi cæpta est, & quidem anno primo Olympiadis $\overline{\text{VII}}$, quæ iniit anno prophetico 3178, sane anno sequenti condita fuerit. Nam Palilia anticipant annum Olympiacum mensibus tribus fere. Tanti refert characterem in consilium adhibere. Siquidem sumpto anno Iuliano κατ' ἀπόλυσιν, in quo Cato Palilia prima ponit, qui est is, quem diximus, annus 3178, putavit

UVA. BHSC. SC 10877

tavit illa Palilia convenire anno primo Olymp.
VII, propterea quod utrumque annus scilicet natalis Vrbis Catonianus, & ille annus Olympiacus in eundem annum Iulianum concurrũt.

Pag. C. 2. a *In annum primum Darij Medi, a quo Babylon expugnata fuit. Dan. 3, 31. & 9, 12.*] Hanc omnium veterum & recentiorum Iudæorum, ac Christianorum delirationem alibi valide profligavimus. Nam quæ hæc est licentia, de ulla expugnatione Babylonis testem Danielem adducere, apud quem neque vola, neque vestigium ejus næniæ extat? A primo Thoth Nabonassari, ad victoriam Alexandri, & pugnam ad Arbela, nunquam Babylon aut obsessa, aut expugnata fuit, præterquam sub Cyro, & Dario Hystaspida. Longe ridiculosius est, quod adjicit, annum imaginarium expugnatæ Babylonis cohærere cum anno prophetico 3474, qui competit in annum xx Artaxerxis Longimanii. Itaq; juxta hũc divinum, sacrum, & propheticum calculum, duo reges eodem tempore in Perside & Babylonia imperabant simul, Darius Medus, & Artaxerxes Longimanus. Quare velim scire, an una cænarent, uno poculo biberent, quandoquidem in eodem solio sedebant.

Pag. C. 3. Quæ tota hac pagina & sequentibus, exponuntur,

UVA. BHSC. SC 10877

nuntur, adeo fines ſobrietatis, modeſtiæ, humanioris literaturæ migrãt, ut otio abundare oporteat, qui hęc legere velit, patientiſsimum eſſe, qui ſine ſtomacho hoc poſsit: in quibus id, quod tanta pompa iteratur de profano calculo, eum eſſe longiorem ſacro. Quam enim ἰδιωτικὰ ſunt? Quis illa intelligit? Si tempora Troiana accommodentur ſæculo Exodi, ſane calculus ſacer erit longior profano. Prout Chronologus deliraverit, epocha Troiani excidii erit longior aut brevior non ſolum calculo ſacro, ſed etiam Aſſyriaco, aut Babylonico. Africanus ſecutus fidem Tatiani tempus Exodi ſtatuit $\overline{\text{M}}$ XX annis ante primam Olympiadem, hoc eſt anno prophetico 2134. Is, quia mordicus tenebat epochã Inachi eſſe antiquiorem $\overline{\text{M}}$ XX annis $\overline{\text{I}}$ Olymp. & perſuaſus eſſet a Tatiano initium Inachi concurrere cum tẽpore Exodi, potuit cõqueri ſacrum calculũ eſſe breviorẽ profano, ſi alii reges ante Inachum in Græcia rerum potiti ſunt, ut Ogyges. potuit etiam queri profanũ calculum breviorẽ ſacro, ſiquidẽ Abraham eſt antiquior Inacho. Quã puerilia, quã vana ſunt hæc. Quod igitur toties ad faſtidiũ profani calculi mentio iteratur, nihil illis verbis profanius eſt, nihil, quod magis merum rus oleat. Itaque nugarum tædet, pigetque.

UVA. BHSC. SC 10877

Pag.C.3.b *Auctor emendationis temporum*] Qui est flagrum imaginarii sacri calculi, crux Beroaldistarum, examen paracleti prophetici. Nemo hactenus ab ejus rationibus discessit, præter Marrucinos, agrestes, Thrasones, profani calculi buccinatores. Iste vero Chronologus tantum abest, ut illos libros intelligat, ut nunquam intellecturus sit. Renasci eum oporteret, ut illis intelligendis idoneus fieret. Quod autē ringit de intervallo $\overline{\text{CVII}}$ annorum a laxatione captivitatis, ad $\overline{\text{II}}$ annum Darii Nothi, hoc nihil habet hominis, qui aliquo literarum gustu, aut sensu communi præditus sit. Initium imperii Asiatici Cyri, 3393 annus propheticus. Secundus annus Darii Nothi 3506. Intervallum, anni $\overline{\text{CVII}}$. Quisquā ne tam impudens, ut adversus hæc hiscere audeat? Quis concedet prophetis intervalla historiæ contrahere, laxare, interpolare, ut Corybantiasmo eorum omnia applicentur? ut Cyrus vivat anno $\overline{\text{XXIX}}$ Herodoti? In tanta luce literarum audebunt tenebras suas splēdori veritatis opponere, qui præ summa bonarum literarum imperitia eum stuporem sibi conscíverunt, ut non videant, nō sentiant, non intelligant, quanto ludibrio se traducant, quid flagitii faciant, quā periculoso exemplo peccent. Quod autem iste miratur potuisse homines

UVA. BHSC. SC 10877

homines tam longævoseſſe,quæro ab eo,utrum magis fidem merebit,hominem CXXV annos potuiſſe vivere, quot & amplius hodie homines in quibuſdam tractibus Africæ,& Arabiæ nō pauci vivunt:aut Cyrum ſeptuaginta quinque annis poſt obitum ſuum captivitatē Iudaicam relaxaſſe? Miratur illos homines tamdiu vixiſſe, quantum,inquit,vix aliquis vixit poſt Moſem. Eſt craſſa tam veteris,quam recentioris hiſtoriæ imperitia . Ioiada pontifex vixit annos CXXX. Phinees Eleazaris filius vivebat adhuc tempore belli propter pellicem excitati Iud. XX, 28. Quo tēpore non potuit eſſe minor annorum CCCXL. Nam Phinees ille Eleazaris filius 1 Chron. IX,20, qui ſub Davide vixit,nō eſt iſte ſummus Pontifex,quia fuit Levita,non Sacerdos,ut falſo ab omnibus fere putari video. Sara סֹרַח filia Aſer,neptis Iacobi,una cum avo in Ægyptum deſcēdit. Geneſ. XLVI,17. Eadem ultimis temporibus moræ in diſerto vivebat. Numeri XXVI, 46. ut non pauciores annos, quam Phinees vixerit. Taceo annos Abraham,Iſaac,Iacob,Levi,Kahath,Amram. In partibus Marroci , Feſſæ , & tractibus Montis Atlantis hodie crebrius eſt homines CXX annorum videri,quam hic mulierem gemellos parere. Ludovicus Vartomannus in Arabia ſe

UVA. BHSC. SC 10877

multos vidisse dicit, qui post CXXV annum adhuc vivebant, lib. II, cap. VIII. In Insula Hispaniola homines indigenæ CXX annos ut plurimũ excedebant, quando illas regiones Hispani armis subegerunt. Caussa longævitatis est sobrietas. Superioribus annis Hollandi nostri Argonautæ regem viderunt annorum CL, in partibus Iavæ, qui pugnando periit. Nos Theobaldum Nitiobrigem CXX annorũ vidimus, cujus pater me puero obiit anno CXXX ætatis. Proavunculus matris nostrę CXX annos sine ullo morbo transegit. Stultum est de lõgævitate quæstionẽ movere. Germani sunt βεαχυβιοι. Ergo nulli sunt μακρόβιοι. Scilicet. Est enthymema propheticum. Adeatur Plinius lib VII, & Phlegon libertus Hadriani περὶ μακροβίων vterque αὐτόπτης fuit aliquot μακροβιωτάτων. Zacharias propheta vivebat IIII anno Darii Nothi, & meminit 70 annorum, ante quos Iudæi jejunabant. *Quando jejunabatis, & flebatis quinto & septimo (mense) jam agitur septuagesimus annus.* cap. VII, 15. Anni illi ineunt ab anno XXXIII Darii Hystaspidæ. Item cap. I, 12 Angelus queritur anno secundo Darii Nothi nullas urbes instaurari in Iudæa ante annos LXX, hoc est ab anno XXXI Darii Hystaspidæ. Videmus

UVA. BHSC. SC 10877

mus igitur totum tempus Cambysæ, Darii Hystaspidæ, usque ad II, & IIII Darii Nothi, Iosuam, Zachariam, Haggæum vitam produxisse: ut ridicula sit intervallicvii annorum admiratio. Velint nolint Prophetæ, hæc stant duro adamante, ut convelli non possint. Non enim Beroaldinorum est mutare tempora. Incivilis est insultatio in auctorem de emendatione temporum. Ad illud opus non admittuntur, nisi candidæ animæ, humanioribus literis & moribus excultæ. Ἐξίσωσις χρὴ ἡμετέροισι χορῖσι ὅσις τῷδε λόγων ἄπτεσθαι.

Habebimus ducem puerum Ix *annorum in egressu e Babylone*] Par imperitia superiori. Confutatum est. Quid vetat viginti quinque annorum supra centum fuisse, anno secundo Darii Nothi, XVIII annorum, quum Babylone migraret? An hoc mirum magis, quam Ioiadam vixisse CXXX annos, Phines, & Sara filiam Aser, plusquam CCCL? Quid mirum, vel potius novum, aliquot annis extra ordinem cumulari spatium vitæ tantorum virorum, quorum opera, ac ministerio Deus ad tuitionẽ populi sui uti voluit? Egregiã sane quæstionem de modo vitæ, qui usitatum quidẽ, sed

UVA. BHSC. SC 10877

non naturalem modum excedit. Nos parati ſumus adverſus hæc opinionum monſtra omnes copias & machinas comparare.

Pag. C. 4. *Et habebitis adoleſcentem pontificem 19 annorum, quæ ætate ne quidem ſacerdoti, nedum pontifici eſſe licuit.*]

Vide quid non audet imperitia. Quis hunc docuit tempore laxatæ captivitatis ne plebeium quidem ſacerdotem ad functionē ſuam admitti, niſi annos $\overline{\text{XXX}}$ ætatis expleviſſet? Hoc quidem locum habuit a Moſe, ad Davidis extremum regnum. Numer. IIII. 3. $\overline{\text{I}}$ Chron. $\overline{\text{XXIII}}$, 3. Sed temeratus eſt ille locus Numerorum in editione Græca, ubi εἰκοσίπεντε ἐτῶν, non τριάκοντα legitur, & exponitur a Theodorito, quæſtione $\overline{\text{XIII}}$ in librum Numer. Quum igitur David animadverteret filios Levi tam Sacerdotes, quam Levitas, propter multitudinem ſacrificiorum quotidie augeſcentem, non poſſe functionibus templi ſupereſſe, ſi trigeſimus annus in illis expectādus eſſet, quod plures eſſent infra ætatem illam, legē annalem ſacerdotum breviori gyro contraxit, eamq; vigeſimo anno definivit. $\overline{\text{I}}$ Chron. $\overline{\text{XXXIII}}$, 27. $\overline{\text{II}}$ Chron. $\overline{\text{XXXI}}$, 17. Eſdr. $\overline{\text{III}}$, 8. Duplex eſt pubertas, civilis & plena, tam in jure Romano, quā Hebraico. Civilis in jure Romano eſt $\overline{\text{XIIII}}$ anno abſoluto in viris, $\overline{\text{XII}}$ in feminis. vulgaria hæc ſunt.

UVA. BHSC. SC 10877

sunt. Tertullianus: *Tempus etiam Ethnici observãt, ut ex lege naturæ jura sua ætatibus reddant. Nam feminas quidem a duodecim annis, masculum vero a duobus amplius ad negotia mittunt.* Plena vero pubertas est institutum Iustiniani in anno $\overline{\text{XVIII}}$. Apud Iudęos civilis pubertas annorũ $\overline{\text{XVIII}}$ absolutorum, secundum quam pubes dicitur בֶּן מִצְוָה, *filius præcepti*, id est, ut Tertullianus loquitur, qui ad negotia mitti potest, & testamenti factionem habet. Plena vero pubertas definitur anno vigesimo quæ in jure Iudaico vetustissimo vocatur סִימָנִין שְׁתֵּי שְׂעָרוֹת *signa duorũ pilorum*, vel simpliciter סִימָנִין *signa*. Per illud intelligitur prima pubes erumpens, quæ in vegetioribus anno $\overline{\text{XVI}}$, imbecillioribus anno $\overline{\text{XX}}$ oriri solet. Quod si quis anno vigesimo nulla signa pubertatis emiserit, is dicitur סָרִיס *eunuchus*: hoc est frigidus, ut vulgo vocatur. quod est primum ex tribus eunuchorum generibus, de quibus Dominus Matthæi $\overline{\text{XIX}}$, 12. Ideo Canon juris est אֵיזֶה הוּא סָרִיס: כֹּל שֶׁהוּא בֶּן עֶשְׂרִין וְלֹא הֵבִיא סִימָנִין *Quis est Eunuchus? quisquis viginti annorum natus non produxit signa pubertatis.* Hoc signum pubertatis Macrobio dicitur *necessitas ætatis. Post annos*, inquit, *bis septem ipsa ætatis necessitas pubescit.* Quod si sacerdos, aut Pontifex anno vigesimo ætatis

UVA. BHSC. SC 10877

signa pubertatis non edidisset, rejiciebatur כֹּהֵן הַגָּדוֹל בְּסוֹל עַר בִּי יֵהָבִיא שְׁתֵּי יִשְׁעָרוֹת, *Pontifex Maximus reijcitur, donec duos pilos produxerit*. A Mose igitur, ad extremum Davidis regnum, ætas sacerdotalis finiebatur anno trigesimo, a Davide autem anno vigesimo. Longe igitur fallitur Chronologus, qui huius moris ignoratione negat Iosuã annos xix natum procul abfuisse ab ætate sacerdotali. Pontifex Maximus nascebatur, non fiebat. Idem de reliquis sacerdotibus jus erat. Intelligo Pontifices Maximos nasci, non fieri, quandiu ἀρχιερατικὸν genus durabat. quo extincto, proximi de xxiiii stationibus eligebantur: quod quidẽ in Iuda Maccabæo contigit, qui successione pontificia suppressa, primus ex statione prima Ioiarib suffragiis populi, non jure successionis, Pontifex Maximus renunciatus est. Pontifex Maximus, quãvis ante pubertatis argumẽta non admittebatur in functionẽ suam, nihilominus tamen erat, & vocabatur, Pontifex Maximus. Sed dabatur illi vicarius, qui intra terminum pubertatis ejus vices fungeretur. Is in priore templo dicebatur מְשֻׁגֶּה כֹּהֵן הַגָּדוֹל: *secundus a Pontifice Maximo*. Sub posteriore templo vocatus est סְגַן כֹּהֵן הַגָּדוֹל: *vica-*

UVA. BHSC. SC 10877

vicarius Sacerdotis summi. quem locum in Ecclesia Græca explet is, qui vocatur πρωτοσύγκελλος τῦ παξιάρχυ. Hujus rei illustre exemplum extat in Onia, cui, quum patre Simone Iusto mortuo, relictus in cunis esset, vicarius datus est Eleazar patruus, sub quo Biblia in Græcum conversa sunt, jussu Ptolemæi. Quemadmodum autem qui vigesimo anno nondum habitum puberum præferebant, a sacerdotio rejiciebantur, ita qui ante annum vigesimum puberes essent, statim ad functionem mittebantur. Non enim, ut scisebat Priscus Iurisconsultus, expectabant, ut habitus corporis & numerus annorum concurrerent: sed juxta sententiam Cassii, sat erat, si habitu corporis puberes essent: hoc est, ut verbis juris Iudaici loquar, עַד כִּי יָבִיאוּ שְׂעָרוֹת סִימָנִין *donec argumenta pubertatis ederent.* Itaque legimus apud Iosephum 417, Aristobulum Herodis ex Alexandro filio nepotem anno ætatis XVII in functionem receptum fuisse. τὸν δὲ μειράκιον Ἀριστόβουλος ἑβδομον ἐπὶ τοῖς δέκα γεγονὼς ἔτος, ἐπεδὴ κατὰ νόμον ἀνῆλθεν ἐπὶ τὸ βωμὸν σωτελέσων τὰ θύματα, τόν τε κόσμον ἔχων ἀρχιερέων, &c. Invitus Herodes illi Sacerdotium mandavit.

UVA. BHSC. SC 10877

Quod si expectandus fuisset vigesimus annus, hoc est, si intra vigesimum annum signa pubertatis non edidisset, dubium non est, quin Herodes prætextu ætatis immaturæ illum Pōtificem fieri vetuisset. Adolescentem enim nimium quātum oderat. Denique videmus hic legitimum Pontificem Max. annorum $\overline{\text{XVII}}$ adversus oraculum Chronologi, qui ante $\overline{\text{XXX}}$ annos sacerdotem ullum, nedum Pontificem Maximum, ad ministerium admitti solere negavit.

Nimis igitur periculosum est affirmare, Græcos scritores] Hæc oracula ex adytis Beroaldinis ridenda potius, quam confutanda. Ex verbis Iosephi, quæ paulo ante produxit, conatur ostendere rem prophetico paracleto dignam, & quæ ab omnibus, qui aliquo literarum usu præditi sunt, risum exprimere possit, Græcos ignorasse, quot reges Persidis fuerunt. quam insaniam ulli homini, qui aliquos progressus in literis fecit, incessisse vix credere̅, nisi hic scriptum viderem. Hoc perinde est, ac si dicerem Gregorium Turonensem ignorasse, quot reges a Hludoveo, ad se, Frācis imperarunt. Adde, quod Iosephus intelligit de temporibus, quæ μυθικῷ intervallo propriora fuerunt, ut de regibus Ægypti, & ejuscemodi, quæ Græcis ex auditu magis, quā ex scripto, nota erant.

UVA. BHSC. SC 10877

erant. Nam ſummus vir Ioſephus tam Beroaldinus non fuit, ut ignoraverit a prima Olympiade omnia Græcis explorata fuiſſe. Præterea quinquageſima quinta Olympias, qua Cyrus imperium Perſarum capeſſivit, eſt res recentiſsima, & infra vetuſta Græcorum tempora: imo ne mediocris quidem vetuſtatis eſt. Primi enim Philoſophi ſunt vetuſtiores imperio Perſico, adeo ut a laxata captivitate, uſque ad annum Herodoti natalē, anni tantum interſint XLIX. Hoc ne Hierophantæ Beroaldini vetuſtatē vocabunt? Quis vnquam vocavit in dubium initium Cyri, rem, qua nulla in vetuſtate Græcorum exploratior eſt? Taceo, quod Cyrus, & omnes deinceps Perſarum reges inſulis Ægæi maris, & omnibus Aſiaticis Græcorum coloniis imperarunt: ut Græcos ignoraſſe eos, quibus parebant, tam credibile ſit, quā hodie Germanos neſcire Rudulfum II Auguſtum ſibi imperare. Quis tantam inſaniam ſatis mirari poſsit? Nos ſuperius non pauca dubia adduximus, quæ in ſcriptura occurrunt, quæ nemo adhuc ſolvit, & adhuc Eliam expectant, quibus in Græca hiſtoria nullū ſimile reperias, neq; in omnibus Græcorum hiſtoriis tot numero, quot in ſacra ſcriptura notari poſſunt. Perſæ igitur, uſq; ad tempora Alexandri, Græcis, Aſiaticis,

UVA. BHSC. SC 10877

ticis, & Insulis Ægæi maris imperarunt. Ac proinde primi ac vetustissimi Græci, qui illorum res scripserunt, nati sunt in illis provinciis, quas Persæ obtinebant: ut stultum sit putare, ac stultius asserere, Græcos ignorasse eos reges, quibus subditi erant. qui profecto merus est Corybantiasmus. Hecatæus Milesius Cyri, & Cambysis gesta scripsit initio imperii Darii Hystaspidæ. Iraq; floruit sub Cyro, & toto imperii Cambysæ tempore. Herodotus Halicarnassensis eadem gesta scribere aggressus est sub Artaxerxe Longimano. Tam Miletus, quam Halicarnassus parebant Persis. Nam Dynasta Cariæ & Halicarnassi tributarius erat Persis. Denique initium Cyri non est res adeo vetusta, ut propter longinquitatem temporis notitiam Græcorum effugerit, neque adeo peregrina, ut de Persarum regno, tanquam de Indicis & Hyperboreorum rebus Græci incerta pronunciarint. Quid? adeo Beroaldini fuerunt, ut ignorarent, quibus regibus parerẽt, aut alios reges ab illis, quibus parebant, aut plures, quam quibus parebant, numerarent? O confidentissimam arrogantiam. Nam quæ temeritas, quæ confidentia major esse potest, quam statuere annum primum Cyri, sive laxationem captivitatis XXIIII annis post expeditionem Xerxis in Græciam? Si asini loquerentur, nonne

UVA. BHSC. SC 10877

probarent se magis participes rationis esse, quã hæc monstra hominum? Omnes veterum observationes Astronomicæ annotatæ sunt sub quo Rege, quoto anno ejus Regis factæ sunt. quod & hodie fit. Alioquin omnia incerta essent. Veteres itaque Chaldæi, qui sub Merodach vixerunt, defectus Lunares non solum sub Merodachi imperii contigerunt, sed quoto anno Merodachi imperii contigerunt, literarum monimentis prodiderunt. Adversus quæ nullus paracletus propheticus aliquid obijcere possit, nisi ludibrium nasutis debere vult. Anno prophetico 3407 Chaldæi, qui sub Cambyse fuerunt, anno octavo ejus imperii Lunam defeciisse scripserunt. Tempus convenit diei $\overline{\text{XVI}}$. Sane & deliquium illud eo anno prophetico accidit, & qui annotarunt, sub Cambyse vivebant. Quomodo igitur potest ignorari initium Cambysæ? Nam si annus 3407 propheticus est octavus Cãbysæ, profecto annus propheticus 3400 est primus Cãbysæ, & proinde 3370 est primus Persici imperii. ut nos insomnia, insciti ã, φρενῖτιν Beroaldinorum præferamus motibus cælestibus, quibus nihil certius est, Beroaldinos Hierophantas, homines ἀθέους καὶ ἀφρώνας natos, omnium bonarum literarum imperitos illis vetustissimis Astronomis

UVA. BHSC. SC 10877

anteponamus, qui quotidie Cambysen videbãt, aut videre poterant? Cui argumento tutius credi potest, quã cælestibus motibus? Si igitur primus annus Cyri est 3370 propheticus, & proinde laxatio captivitatis 3399, quomodo poterit esse 3474, tempore Longimani, XXIIII annis post Athenas a Xerxe incensas? Eo rem rediisse, atque insaniam eo progressam fuisse, ut deierare ausit Athenienses ignorasse quoto anno quotæ Olympiadis eorum urbs a Persis incensa fuerit? Rursus Chaldæi, qui sub Dario Hystaspida floruerunt, anno ejus XX Lunam defeciisse memoriæ prodiderunt. quod tempus convenit anno prophetico 3428, Cyclo solis XII, Lunę XIII, Novembris XIX. Si annus propheticus 3428 est vigesimus currens Darii, omnino annus 3409 erit primus imperii. Quod clarius confirmatur alia ejusdem sideris defectione anno XXXI ejusdẽ Darii, Aprilis XXV, Cyclo Solis XXIII, Lunæ V. Tempus convenit anno prophetico 3439. Si 3439 est XXXI annus, ergo 3409 est primus, ut antea. Certe si tam bene congruunt tum cælestes observationes, tum Græcorum historiæ, quæ aliunde, quã ex motibus cęlestibus, omnium regum Persidis epochas convenienter illis observationibus retulerunt, quæ hæc est barbaries, quæ confidentia,

UVA. BHSC. SC 10877

tia, non ſolum hiſtorias ipſas, ſed etiã motus cæleſtes in dubium vocare? Quid ſatis eſſe poteſt tantæ amentiæ caſtigandæ? Omnes Græcorum, & Latinorum hiſtoriæ plenæ ſunt defectibus utriuſq; ſideris, qui ſunt ἀναμφισβήτητοι characteres temporum. In utroque teſtamento ne unus quidem extat. Et quidem pauciſsimi characteres in ſcriptura ſuperſunt, quibus aliquod intervallum tuto prehendere poſsimus. Vnde cõtigit, ut inveſtigatio temporum longe difficilior ſit in ſcriptura, quam in exotica hiſtoria, in qua ſi quod dubium occurrit, adeo exiguum eſt, ut ex aliorum intervallorũ collatione id indagari poſsit. Nam quid eſt incertius intervallo illo $\overline{\text{XL}}$ ãnorum moræ in deſerto, in quo nulla temporis epocha notata eſt per ſingulos annos, neq; ſinguli anni per menſes, neq; menſes per dies? Idem de toto libro Ioſuæ dicas, item de Iudicum annis, qui ſi in unum colligantur, longe definitum terminũ annorum 480 excedunt. Itaq; actum erat de Chronologia ſacra abſq; exoticis monimentis foret. Quod cum ſapientiſsimi ſcriptores, Tatianus, Clemẽs Alexandrinus, Africanus, Tertullianus, Euſebius, aliique animadvertiſſent, omnino ſine exotica hiſtoria, intervalla ſacræ deprehendi poſſe deſperarunt. Dicat igitur tumidis buccis,

UVA. BHSC. SC 10877

elato ſupercilio atrocem injuriam Spiritui ſancto fieri, ſi hiſtoria ſacra ab exotica ſubſidium petit. Quaſi magna illa ignominia ſit, ſi hiſtoria exotica ſacræ ancilletur. Non poſſum continere ſtomachum.

Pag. C. 4. b. *Reges Perſicos alii 14, alii 13, alii 11, alii 10, alii 9, alii 8, alii 5, alii 4 tantum numerant*] Vellem oſtenderet, qui ſunt illi, qui 9, 8, 5, 4 numerant. Non poſſunt aliunde, quam ex pergula Beroaldina tales artifices prodiiſſe. Omnes veteres ſcriptores tot numerãt, quot fuerunt, neq; pauciores, neq; plures, hoc eſt XIIII. Si qui ſunt, qui plures, aut pauciores numerãt, vapulent. Certe hunc Chronologum oportet in hiſtoria, & in bonarum literarum ſtudiis admodum peregrinum eſſe, cui adeo vetuſta, & obſcura viſa ſunt regum Perſicorum tempora: quaſi agatur de rebus Hyperboreorum, aut Mileſiis Apulei.

Ibidem. *Objiciuntur characteres*] Nihil eſt, quod magis in ordinem redigat licentiam prophetarum, quã character, cui nihil opponi poteſt. Quis hoc negare poſsit, præter aſinos? Quod Græci ſtatuant initium Cambyſæ 3400 anno prophetico, Darii 3409, quid melius confirmare poteſt, quam characteres illi defectuum Lunarium, quos ſupra retulimus? Hi characteres omnem ἐνθουσιασμὸν

Beroal-

UVA. BHSC. SC 10877

Beroaldinum ſummovent.

Fatente Scaligero, character primæ Olympiadis deſideratur] Hanc ſycophantiam ſupra a nobis depulimus. Hæc omnia ſunt hominis neque ſobrii, neque modeſti. Neſcit quid eſt character. *Pag. D. 1. a.*

Et nos credemus in fabuloſo illo temporum curſu] Triumphus ante victoriam. Opportuna ſane exclamatio, quæ hominis majorem imperitiam arguit, quam dudum. Neſcit, quid dicit. Intervallum ἄδηλον a Varrone vocatur, quod nullas hominum, aut geſtorum notas habet. Intervallum autẽ μυθικὸν, quod & hominum, & geſtorũ notas habet, ſed incertas, & inexploratas: quale eſt, quod inter diluvium Ogygium, & primã Olympiadem interjectum eſt, intra quod reges Sicyoniorum, Argivorum, Theſſalorũ, Lydorum, & aliarũ gentium claruerunt: quos nemo dubitat fuiſſe: ſed quorũ tẽpora per generationes potius, quam per annos expanſos inveſtigari poſſunt. Ejuſmodi eſt illud intervallum, quod Pindarus ponit a Medea, ad Cyrenas a Batto conditas, quod quidem ipſe $\overline{\text{XVII}}$ generationum determinat, quia certum numerum annorum ob vetuſtatem definire non potuit. Vbi igitur anni ignorantur, intervalla autem non adeo incerta ſunt, ut ſi ad veros eorum fines perveniri non *Ibidem. b*

UVA. BHSC. SC 10877

posſit, ab illis tamen non longe diſcedatur, tunc per generationes res tranſigitur. Generatio, vel γενεὰ, eſt tempus, intra quod homo generare poteſt, & ex ſe genitos videre, puta xxxv annorum. Herodotus c annos tribus γενεαῖς comprehendit, alii quatuor. Intervallum afflictionis in Ægypto circumſcribitur annorum 400. Geneſ. xv, 16, generationum quatuor. Secundum Herodotum id fuerit annorum cxxxv prope, quẽ terminum ſola ætas Amram conſequi potuit. Re vera enim quatuor generationes fuerũt, Levi, Kahath, Amram, Moſes. Quare μυθικὸν intervallum (quod Chronologus didicit ex libris noſtris) non ideo dictum, ut falſo arbitratur, quod non fuerit, ſed quod multa fabuloſa veris admixta habet: propter incerta temporum intervalla: non utiq; quod & Heroes, & illi, qui pro Diis culti ſunt, nõ fuerint, ſed qui quo tractu tẽporis vixerint, potius, quam quo anno quid geſſerint, determinari poteſt. Propterea Africanus, & Euſebius quædã vetuſta Græcorum geſta non ad certum annum Iudicis Hebræorum, ſed ad aliquẽ tractum temporis referunt. Nobis illud tempus ἱστορικὸν potius quam μυθικὸν, vocare placuit. Nam ut Herculem fuiſſe, ita Hydram cum innumeris capitibus renaſcentem nõ fuiſſe, certum eſt. Propter Hydrã,

quæ

UVA. BHSC. SC 10877

quæ non fuit, Varro illud tempus μυθικὸν vocaverit: nos propter Herculem, qui fuit, ἡρῳϊκὸν justius dixerimus. In illo Heroico spatio nihil cõtigit, de quo certo pronunciari possit, quod tamen cõtigisse non est dubium. Ludicrum dumtaxat Olympicum a Pelope institutum, ab Hercule autẽ, & post eum, ab Atreo instauratũ ignorari non passa est observatio nomeniæ, quæ in IX Iulii incidebat, anno prophetico 2614. Quartam epocham Troiani casus nobis conservavit anni Attici forma, per quam Ephorus, & multis annis post Ephorum præstãtissimus sctiptor Eratosthenes illum casum investigavit, qui cõcurrit cum anno prophetico 2747, XXII, Iuni Iuliani, XVI diebus Iulianis ante νέγον θερινὸν, hoc est VIII Iulii. Eodem modo in ipso intervallo heroico determinari potest, quoties & quando utrumq; sidus defecit. Tota Bibliotheca Apollodori, opus sane ingeniosissimum & elegantissimum, fabulosa est, non utiq; si homines, sed si hominibus attributa considerentur. Eam totam si velimus, possumus κατ' ἀγωγὴν in certum Chronicon conjicere, quod lõge certius, veracius, exploratius erit, quam Beroaldinæ deliriationes. Certe neq; anachronismos in eo committeremus LXX, Xc, aut C annorum, quibus portentis iste Chro-

UVA. BHSC. SC 10877

nologus ſacras rationes cõturbavit: qui ὁ παιὰν canit, quod alii intervallum a caſu Ilij, ad primã Olympiadem, annorum CCCCVII, alii uno amplius circumſcribunt. quæ objectio eſt futiliſsima, quum tamẽ ipſe laxationem captivitatis cõtulerit in LXXXI Olympiada, XXIIII annis poſt expeditionẽ Xerxis filii Darii Hyſtapidę tertii regis a Cyro. Quæ temeritas huic cõparari poteſt? Quis Oceanus hanc maculam eluat? quæ hoſtiæ hoc portentum expiare poſsint? Hiſtorici Græci anno uno diſſentiunt in primæ Olymp. initio conſtituendo, Latini in primis Palilibus. Ergo neque Olympiades fuerunt, neque Roma Palilibus condita eſt. Vno anno plus, aut minus dici tam in ſcriptura, quam in exotica hiſtoria contingit, propterea quod annus labens ſumitur pro completo, & contra. Diluvium cõtigit anno ſexcenteſimo Noæ, id eſt finis diluvii, ut ſupra demõſtravimus, accidit anno ſexcentiſsimo Noæ currente, inivit ãno 599. Hic Chronologi uno anno hallucinantur. Abia regnavit annos III. biennium tamen abſolutum regnavit. Sedẽkias annos XI. vix explevit decimum. Ejuſmodi multa occurrunt in ſacris libris, & quidem crebrius, quam in exoticis. Qui caſum Ilii 408 annis annis ſtatuunt ante primam Olympiadem, ij rationem

UVA. BHSC. SC 10877

nem habēt Thargelionis anni prophetici 2747, qui ſecundum Atticos inivit ab æſtate antecedentis anni 2746. Qui uno anno minus dicunt, rationem habent illius æſtatis anni 2747, quæ ſtatim poſt excidium Ilii inivit, $\overline{\text{XXXI}}$ die Iulii. Idem de Palilibus urbis dixeris, quę quum juxta Catonē anno prophetico 3178 conveniant, menſe Aprili, anno quarto Olympiadis $\overline{\text{VI}}$ currente, Dionyſius Halicarnaſſenſis more Græcorum a diebus æſtivis eiuſdem anni, unde inivit $\overline{\text{VII}}$ Olympias, prima Palilia urbis putare inſtituit. Itaque Cato ab anno quarto Olympiadis $\overline{\text{VI}}$, Dionyſius ab ineunte Olymp. $\overline{\text{VII}}$ natalem urbis putantes videntur diſſentire anno ſolido, quum tamen tantulo dumtaxat intervallo diſcrepent, quantulum intereſt inter menſem Aprilem ad finem decurrentem, & initium æſtatis ſequentis. Sic Galli hodie hunc annum Chriſti 1606. a Kalend. Ianuarii putare cæperunt, Anglis adhuc currebat annus 1605. Videntur diſſentire anno uno. quum tamen inter Gallicanam epocham & Anglicanam interſint tantum dies $\overline{\text{XCIIII}}$.

Ptolemæi annotatio plus habet momenti] Quam idiotica ſunt hæc, quam ridicula. videtur putare *Pag. D. 1.*

UVA. BHSC. SC 10877

Ptolemæum, qui anno Nabonassari 886 scribebat, observasse defectionem Lunarē anno Nabonassari 225. Ptolemæus omnes observationes quæ ante illum factæ sunt, habet a vetustioribus, Aristarcho, Conone, Timochari, Hipparcho: illi autem a Chaldæis, qui temporibus Nabonassari, Merodachi, Nabopollassari, Nabuchodonosori, Cyri, Cambysæ, Darij Hystaspidæ motus cælestes, siderum defectiones observabāt, notato anno illius Regis, sub quo sidus defecit, & literarū monimentis consignato. Quomodo enim certum tempus defectionis determinare potuissent, nisi annum regis, sub quo id observarant, expressissent? Non aliter fit hodie, neque aliter fiet. Duplici autem nota temporis utebantur, Nabonassari, & Regis, sub quo observatio facta erat. Exempli gratia Hodie $\overline{xv}$ mensis Nisan, anno Nabonassari 225, Cambysæ domini nostri octavo, Luna defecit, &c. Ægyptii vero qui ex libris Chaldæorū eas observationes hauriebant, nō mensem Chaldaicum, sed Ægyptiacum apponebant, in reliquis Chaldæorum vestigiis insistentes, & eadem epocha utentes Nabonassari, & Regis, sub quo observatio facta fuissent.

Pag D.1. b. *Verum est, & fidem indubiam merentur*) Si fidem indu-

UVA. BHSC. SC 10877

indubiam meretur, quid (malum) jam suo tempore ab hominibus illius ævi observatum in discrimen vocas? Ex illo defectu Lunari cogeris fateri annum octavum Cambysæ concurrere cum prophetico 3407: & tamen negas verum esse, quia profanum est, & non concordat cum corybantiasmo paracleti prophetici. Hæc, & sequentia adeo inepta sunt, ut otiosum valde oporteat esse, qui his confutandis vel momentum temporis perdat.

Quæ vero (Ptolemæus) præter observationes ex receptâ Græcorum historia, vel ex Ægyptiorum fabulis affirmat, &c.] Quid hoc novi est? Ptolemæus fabulas Ægyptias recitat? Hercules tuam fidem. Nunc primum rem omnibus, nedum mihi, inauditam discere cæpi, Ptolemæum μυθολογούμενα scripsisse, ut Apollodorum, Hygenum, Furnutum, Palæphatum. Eoque magis mirum, quod nullus codex Ptolemæi μυθολογούμενα continet. Quid enim motibus cælestibus cum fabulis? *Ibidem.*

Quorum prius res Persicas a Cyro, ad victoriam Alexandri] Hominem inconstantem. Græcorum fidem in cælestibus observationibus, quæ fallere non possunt, paulo ante rejecit: nunc vero victoriam Alexandri, quam non nisi ex Græcis haurire potuit, pro certa epocha ăplectitur. Cur *Pag. D. 2. b.*

UVA. BHSC. SC 10877

potiùs Græcis de Alexandri victoria credit, quã de anno octavo Cambysæ? Quia, inquit, quo propiora Christo sunt tempora, eo Græci minus mentiti sunt. Certe Alexãdri victoria propior est ævo Beroaldi prophetico, quã Cãbysæ epocha.

Pag. D. 3. *Ex computo igitur sacro a Cyri* I, *ad Alexandri monarchiam, non nisi* 125 *anni Persidis regibus debentur.*]

Hæc plane Beroaldina sunt. Atque adeo hæc una caussa est, quare hæc mirifica Chronologia instituta est, ut scilicet initium Cyri in annum primũ Olymp. LXXXI conjiceretur. Sed hoc antea confutatum est. Hoc Cyro mortuo, ubi ponemus ejus filium Cambysen? ubi Darium Hystaspiden? ubi cõstituemus defectionẽ Lunarẽ anno VIII Cãbysæ. ubi duas, alterã XX anno Darii Hystaspidæ, alteram XXXII ejusdẽ. Vbi est Darius Hystaspides ille Esd. IIII, 5? ubi Xerxes vir Esteris, Esdr. IIII, 6? Vbi Longimanus ibid? Secundum rationes propheticas, a fundato templo ad Esdræ adventum in Palæstinã. Sunt anni LXV Sed totidẽ sunt a Cambysæ initio ad initiũ Artaxerxis Longimani. Ergo anno primo Longimani Esdras reversus est in Palæstinam. Atquin Esdras reversus est annis XX I post Encenia tẽpli, VII anno Artaxerxis Memoris. Hic vero secundum calculum propheticum revertitur anno I Artaxerxis Memoris. Ergo falso scribit ipse

UVA. BHSC. SC 10877

Esdras se VII anno in Palæstinam venisse. Vide quam bene cõstet ratio paracleto prophetico. Rursus, inquit calculus prophericus, anno 3541 Esdras advenit in Palæstinam. Sed is annus est decimus septimus Artaxerxis Longimani, cujus toto, ut duximus, imperio opus templi interpellatum fuit.

Tribuamus ei cum Cambyse filio annos 7] Iam fatetur Cambysen fuisse, & septem annos post patrẽ regnasse. Ergo ejus annus VII incidit in propheticum 3481, qui est XVII Artaxerxis Longimani. Iam hoc cõfutavimus. Nam primo anno eum venisse absurdum est, multo absurdius XVII. *Ibidem.*

Daniel namque post Darium Medum, ad Alexandrum usque, non nisi quatuor numerat] Tria summæ imperitiæ argumenta. Primum, quod Darium Medum regem Persidis facit: quo nihil falsius. Fuit enim rex Babyloniæ, non Persidis. Nullus enim rex Persidis ante Cyrum. Darius iste Medus ita dictus, quod filius Xerxis Medi esset, vixit privatus & inquilinus Babylone, annos LXI. Invitatus ad epulas à Baltasare rege adolescentulo, eo inter epulas a cõvivïs conjuratis obtruncato, ab illis rex Babyloniæ creatus regnũ illud per annos XVII obtinuit, usq; ad annum Cyri XXIII, qui eum regno Babylonis exutum Carmaniæ *Ibidem.*

UVA. BHSC. SC 10877

præfectura donavit, & eius ſenectuti pepercit, cujuſmodi honorē Tetrico habuit Aurelianus, qui eum in triumpho ductum correctura Lucaniæ donavit, in quo honore conſenuit. Secundum inſcitiæ argumentum, quod, etiam ſi concedamus hunc Darium Medum regnum Perſidis obtinuiſſe, tamen Daniel illos quatuor reges non poſt Darium Medum, ſed poſt Cyrum numerat. Tertius error, quod quia initio Cap. XI, I mentio fit Darii Medi, ipſe putarit prophetam ab illo quatuor reges numerare, quum tamen illa verba Angeli ad primum annum Darij Medi pertineant, qui concurrit cum anno VI, Cyri imperij Perſici, Nabonaſſari CLV, annis XVII ante captam a Cyro Babylonem. Sed illi reges putantur ab extremo Cyri imperio, anno prophetico 3400, quo imperium inivit Cambyſes, nono curréte a Dario Medo debellato, & finibus Carmaniæ relegato. Tantum abeſt, ut anno primo Darij Medi hæc contigerint. Itaque mirifice hallucinatus eſt chronologus, dum rationem habet cōmatis capitis XI, non I cōmatis Capitis antecedentis. Nam illa duo Capita re conjuncta ſunt, ſed propter prolixitatem, ex uno, duo facta: quæ, ſi materiam, & argumentum ſpectes, non erant divellenda. quæ divulſio impo-

UVA. BHSC. SC 10877

imposuit Chronologo.

Daniel namque post Darium Medum, ad Alexandrum usque non nisi quatuor numerat] Quam portentosa imperitia. Notum etiam lippis & tonsoribus, reges quatuor, quos Daniel post Cyrum exorituros scribit, eos esse Cambysen, Smerdim, Darium, Xerxem. a Xerxe autem ad Alexandrũ nullum regem interponit, quia de Alexandro tantum loqui instituit, ut vel puero patet. Sed Chronologus vult a Xerxe, ad Alexandrum, nullum fuisse regẽ, quia nullus ponitur a Daniele. Mirum & propheticum argumentum, cui simile illud fuerit, a Cyro ad Darium nullum fuisse interpositum regem, quia Esdr. IIII, 5, nullus interjicitur. & ab Artaxerxe Memore, ad Darium Codomannum nullum alium, quia a Nehemia post Artaxerxem Memorẽ nullus alius rex Persarum memoratur. Eadem licentia non plures annos reges rerum potitos esse opinatur, quam quot a scriptura designantur. *Pag. D. 3. b.*

Alter mox anno, quippe climacterico suo magno senex vita functus] Darius rege Baltasare domino suo interfecto, regnum invasit annos natus LXII. Dan. V, 31. Vixit, inquit Chronologus, annos LXIII, quia annus LXIII climactericus est, idq; magnus. Atqui si plures annos nõ vixerunt re- *Ibidem*

UVA. BHSC. SC 10877

ges,quam quot ſcriptura memorat,ut ipſe vult, unum tãtum annum regnaverit. Vnius enim,nõ plurium,mentio extat apud Danielem. Deinde quam futile eſt,quod annus LXIII eſt climacte-ricus,propterea neceſſe fuiſſe, illũ climacterico anno obiiſſe. Ergone omnes reges anno ſuo cli-macterico moriũtur? Quicquid Sabini ſomniãt, verum eſt: adde etiam quicquid Beroaldini. Ecce reges Perſidis,quos memorant Græci, non fue-rũt. Sed Darius Medus obiit anno climacterico velit nolit Scriptura. Hoc licet prophetis,nõ pro-fanis. At o prophetarum natio,ſcitote hunc Da-rium Medum XVII ann. ſolidos regnum obtinu-iſſe,ab anno prophetico 3375,ad annũ 3392, an-nis XXIIII ante geſtum cap. x, 1 apud Daniel.

pag. D.3.b *Monarchiam Cyro ſocio,& genero reliquerat*] Hæc ſtercora ſunt ex Annii Viterbienſis, & propheta-rum latrinis ęruta. Iſte Darius, (cogor idem repe-tere ſæpius) qui antea privatus Nabonidus Me-dus dicebatur, poſtea regnum capeſſens Darius Medus dictus eſt, iſte, inquã, homo alienigena, inquilinus Babyloniæ, aut ſaltẽ inquilino Xerxe Medo natus, interfecto, ut ſupra retulimus, rege ſuo Baltaſare adoleſcẽtulo, vacuã aulã occupavit anno prophetico 3375. Exutus regno eſt anno 3392 a Cyro, qui eum, arce Borſippena, in quam confugerat, expugnata, cæpit, humaniſsime tra-

UVA. BHSC. SC 10877

ctavit, ac Carmaniæ præfecit. Quomodo igitur iſte Darius Medus moriens ad Cyrum regnum ſuum tranſmittere potuit, a quo ſpoliatus eſt? Quomodo gener ejus eſſe potuit, cum quo nulla affinitas interceſſerat? Futilia, vana, deliraomnia.

Ahaſuerus, Xerxes, ut placet Scaligero] Quia for- *pa. D. 4. a*
taſſe non placet prophetis. Quomodo non placeat illi τῷ σπάφῳ σπάφῳ eſſe? Certe Xerxes non poteſt eſſe, niſi Xerxes. Nã אחשורוש pro ratione apicum vocalium poteſt eſſe Ahaſuerus, Oxyares, Xerxes. Præterea ejus uxor Græcis dicitur Αμυτεις. Αμ-ῒτεις. אַם־אֱיִתֵר .Sed alibi a nobis de hoc ſatis diſputatum. Qui igitur negãt אחשורוש Xerxem eſſe, negant Xerxẽ eſſe Xerxem, et σπάφῳ eſſe σπάφῳ. Ne ſine ratione inſanire viderentur, cauſſam validã adtulerunt. Si, inquiunt, אשחורוש eſſet Xerxes, regina Eſter non paſſa eſſet opus templi interpellari. Alii: Si ille eſſet Xerxes, regina Eſter, ut opus templi interpellatum repetetur, a viro impetraſſet. Atqui a Cyro, ad annum primum Artaxerxis Longimani, opus diſturbatum non fuit, ut alibi oſtendimus. Quid neceſſe fuit opus repetere, quod nunquam intermiſſum fuit, ſed maximis difficultatibus propter vicinorum infeſtationes, continuatum? Sub Dario conati ſunt impedire fruſtra.

UVA. BHSC. SC 10877

ſub Xerxe Iudæos rebellionis deferentes re infecta redierunt. Hos reges, eorumq; nomina, quæ ſtulti Chronologi, Beroaldiſtæ, Viterbienſes, prophetæ, καθαιρεῖ, ridicule, præpoſtere, exponebãt, ab eorum fœda latrocinio, vindicavimus & ex Eſdra nullos alios reges Perſidis fuiſſe, præterquam quot veteres Græci prodiderunt, oſtẽdimus. Initio multorum Marrucinorum, agreſtium, bubulcorum ſibilos, grunnitus, ſtrepitus experti ſumus. Nunc major pars eorum vero victi manus dant, ita tamen, ut hæc nunquã ignoraſſe videri velint, aut ab alio potius, quam a nobis, didiciſſe.

Pag. D. 4 a. *Nec aſſentior iis, qui ex his duobus unum Abaſuerum Artaxerxem faciunt*] Atqui patriarcha prophetarum Beroaldus ex eorum numero eſt. Fanaticus Dominicanus Annius Viterbienſis jamdudum fabulam illam vulgaverat. Nos primi, ut paulo ante diximus, eos reges diſtinximus, qui propterea multos prophetarum inſultus pertulimus. Vicit tandem verum, & magis magiſq; vincet.

Ibidem. *Artaxerxes forte Græcorum* μακρόχειρ] Vero victus nondum ad ingenuam confeſsionem perduci poteſt. Ecquis Artaxerxes poſt Xerxem poteſt eſſe, præter Longimanum? Non erit, niſi prophetis placeat? Sed res mira ſequitur, Axtaxerxẽ regnaſſe

UVA. BHSC. SC 10877

regnasse annos $\overline{\text{XVI}}$ dumtaxat. hoc est Artaxerxes vigesimo quinto anno imperii sui regnare cæpit anno prophetico 3489, annis $\overline{\text{XXXIX}}$ post expeditionem Xerxis, quæ anno $\overline{\text{V}}$ I Xerxis contigit, quarto Olympiadis $\overline{\text{LXXIIII}}$ ad finem decurrentis. Hoc modo Xerxes $\overline{\text{XLV}}$ annos regnaverit. Ecquæ commoditas maior est, attribuere $\overline{\text{XLV}}$ annos Xerxi, qui $\overline{\text{XX}}$ tantum regnavit, quam $\overline{\text{XL}}$ annos relinquere Artaxerxi, quot scilicet regnavit? Quis hæc laudaverit, præter Arcadicos?

Initium igitur belli Peloponesiaci in hujus Artaxerxis annum $\overline{\text{X}}$ *labentem incurrit*] Scilicet. Annus primus Artaxerxis est quartus Olympiadis $\overline{\text{LXXVIII}}$, propheticus 3465. Annus primus vero Peloponesiaci 3499. Differentia anni 34. Plus ergo regnavit, quã annos $\overline{\text{XVI}}$. Rursus annus decimus belli Peloponnesiaci est 3474 propheticus, quo deducto de 3499, supersunt anni $\overline{\text{XXV}}$, quos Artaxerxes regnaverit. Tædet, piget stultitiæ, τῆς ἀβελτερίας. *Ibidem.*

Scaliger triennio anticipat] Strenue mentitur paracletus. Scaliger, & omnis vetustas, statuit annũ primum belli Peloponesiaci in secundo Olympiadis $\overline{\text{LXXVII}}$, quæ inivit anno prophetico 3499. Sed propter commoditatem transferatur in annum sequentem 3500, quo, usque ad dies æstivos, currebat idem secundus annus Olympiadis $\overline{\text{LXXXVII}}$. An feremus hanc impudentiã, *Ibidem.*

UVA. BHSC. SC 10877

quæ ait nos triennio anticipasse? Nam quæ major sycophantia potest esse, quam dicere nos initium belli Peloponnesiaci statuisse anno ante observationem solstitialem Metonis, quum inter illam, & initium belli Peloponnesiaci, interfluxerit annus solidus? duobus mensibus post observationem, Pythodorus inivit Magistratũ cyclo Lunæ VII. totidem mensibus post initium belli Peloponnesiaci, Pythodorus abiit magistratu, cyclo Lunæ VIII, Euthydemo successore: a cujus magistratu historiæ putant initium & annos belli Peloponnesiaci. Initium Magistratus Euthydemi in anno phrenetico 3499, a diebus æstivis, usq; ad dies æstivos anni 3500, cyclo Lunæ IX. Verba Iosephi Scaligeri pag. 386. *Indubitatum est belli Peloponnesiaci initium, anno sequenti post observatum a Metone solstitium, anno primo Olympiadis* LXXXVII *ad finem decurrente*, &c. Supererant enim, ut dixi, menses duo Pythodoro, anno prophetico 3499, usque ad dies æstivos ejusdem anni, a quibus inivit annus secundus ejusdem Olympiadis, Euthydemo præturam ineunte. Et patiemur a prophetis nobis illudi? Non, si sapimus.

Pag. D. 4, b. *At iuxta calculum sacrum fuit annus* 1. *Olympiadis* 90] Ergo duo bella Peloponnesiaca fuerunt. alterum

UVA. BHSC. SC 10877

alterum in Græcia ſecundum profanum calculum, anno ſecundo Olymp. LXXXVII, prophetico 3499, alterum apud Hyperboreos, ſecundum paracletum Montani, anno primo Olymp. XC, prophetico 3510. Quare annus ſeptimus belli Peloponneſiaci, apud Hyperboreos congruit anno 3516. Sed Artaxerxes obiit anno VII belli Peloponeſiaci, ut perhibet Thucydides, qui tunc ſe annorum viginti fuiſſe ſcribit, ut ignorare tempus exceſſus Artaxerxis nō magis potuerit, quā ipſum annum ſeptimum belli Peloponneſiaci, qui conveniebat in annum phreneticum 3506. Ergo Artaxerxes obiit anno 3506 ſecundum Thucydidē, qui illi rei interfuit, ſecundum paracletum autem anno 3516. Quis non miretur arrogantiā, quæ initium belli Peloponneſiaci melius ſcire ſe poſtulat, quā Thucydides, qui teſtatur toti illi bello ſeſe interfuiſſe. ἐπολέμουν τε, inquit, διὰ παντὸς αὖτις (πολέμου). Diſtinguit tempora belli per æſtates & hiemes, nominat magiſtratus ſive ἄρχοντας, ſub quibus aliquod inſigne geſtū intervenit in eo bello: ut ignorare nemo poſsit ſingulos annos illius belli, niſi qui magiſtratus, ſive ἄρχοντας ignoraverit. Verū eſt igitur, quod diximus, bellum Peloponneſiacum iniviſſe, ut & αὐτόπτης μάρτυς Thucydides ſcribit, quū Pythodoro ἄρχοντι

UVA. BHSC. SC 10877

adhuc menſes duo ſupereſſent : quibus exactis ſucceſsit Euthydemus ἄρχων anno prophetico 3499. Olymp. LXXXVII ſecundo. Nemo igitur melius, aut certius ſcire potuit, quæ in eo bello contigerunt, quam is, qui vidit, qui interfuit, & aliquando præfuit. Is enim, ut dixi, erat annorũ XX anno VII belli Peloponneſiaci ad finem decurrente, quando Artaxerxes obiit. Scribit enim Artaphernem Perſam captum a duce Atheniensium Ariſtide Archippi filio, anno ſeptimo belli Peloponneſiaci deſinente, quum ab Atheniensibus ad Artaxerxem miſſus eſſet, ſimul ac pedem in Aſia poſuiſſet, nuncium de morte Artaxerxis accepiſſe, quæ initio illius hiemis contigiſſet. Artaxerxes igitur obiit anno prophetico 3506, velit nolit paracletus, unde initium Darii Nothi. *dic aliquem, dic, Quintiliane colorem.*

Ibidem. *Sextus ejus annus cohæret cum belli Peloponneſiaci anno 13*] Hoc certe verum eſt. Sed initium belli Peloponneſiaci ſummotum eſt in conſequentia metachroniſmo decennii ſecundum execrandũ calculum, quẽ paracletus vocat ſacrum. Annus enim ſextus Darii Nothi cõvenit anno Olympiadico 359, non 369, ut paracletus Hyperboreorum ſciſcit. Denique ſecundum hunc calculum non ſolum initium belli Peloponneſiaci, ſed etiam

UVA. BHSC. SC 10877

etiam omnes epochæ exoticarum historiarum, secundum profanum & sacrum calculum aliud & aliud initium sortientur.

Quod ex Chronologia nostra sacra magis pateſcet] Pag. D. 4. b. Prodeat divina ista Chronologia. Nam cujus hoc specimen tanti est, quanti erit mercimonium ipsum? Prodi divina Chronologia. Fortasse aliquot noctes tibi dabit lucerna nostra.

Phosphore redde diem. quid gaudia nostra moraris?
ἔξεχ' ὦ φίλ ἥλιε.

Nullus cum Scaligero dubito.] Certe iste Scaliger *Ibidem.* primus, solus, & unus hoc indicavit, quanquam initio nemini persuadere potuit, ut hæc ætas ingenia æmula potius, quam docilia tulit. Quare non possum satis mirari, qui factum sit, ut iste nunc in sententiam Scaligeri discedat, neque veritus sit, ne sacer paracleti calculus profano Scaligeri calculo polluereturr.

Metasthenes] Auctor dignus paracleto. vide su- *pag E. 4 a* pra quid de hoc monstro diximus.

Nisi forte Nehemias annum 32 ejus extremum fuisse notare voluit, quum dixit se anno 12 Artachsastæ in fine dierum venisse ad regem] Insignis imperitia. Audiamus ipsum Nehemiam Latine loquentem: *Anno autem trigesimo secundo Artaxestæ conveni Regẽ, & anno vertente impetravi a Rege, & veni Ierosolyma.*

UVA. BHSC. SC 10877

Interpres paracleto imposuit. qui יָמִים vertit dies. Atquin ibi non dies designat, sed quod poëtæ dicunt περιπλόμενον ἐνιαυτὸν, ānum vertentem dierum

CCCLXV. Quotiescunque enim יָמִים in scriptura occurrit, intelligendus est annus dierū CCCLXV, non autem Lunaris, quem nunquam scriptura יָמִים vocat. Falso igitur paracletus ex eo colligit XXXII tantum annos Artaxerxem imperasse. Nā etiā ex tralatione, quā protulit, nihil aliud quā extremus annus XXXII intelligi potest. quo posito inepta & absurda est consequentia, Nehemias venit Ierosolyma anno Artaxestæ trigesimo secundo expleto. Ergo triginta duos annos tantum regnavit. Augustus reformavit Fastos anno imperii sui trigesimo sexto, C. Martio Censorino, C. Asinio Gallo Coss. Ergo Augustus XXXVI tantum ānos imperavit, & illis Consulib. obijt. Idem est argumentum. Sed de hac paracleti insania jam supra egimus, quæ non plures annos regibus attribuit, quā quot scriptura memorat: quanquam paracletus oblitus sui non unum, quem solum Daniel memorat, annū Dario Medo attribuit, sed tres ex adytis calculi sacri deprōtos, quia necesse erat eū āno climacterico mori.

PagE. 1. a *Sextus Persarum rex*] Insania superiori similis, quæ omnē κορυβαντιασμὸν superat non plures reges Per-

UVA. BHSC. SC 10877

Persarum fuisse, quã scriptura memorat, ut supra nõ plures ãnos regnasse, quã quot scriptura meminit. Quadraginta ãnos Hebræi in deserto morati sunt. Eorũ secundũ duntaxat memorat Moses. Quod si non aliunde cõstaret XL annos in deserto moratos esse, secundum sacrum calculum duos tantum annos in deserto transegissent.

Quem Iustinus Codomannum vocat] Codoman- *Ibidem.*
num esse eum, cujus mentio Nehemiæ XII, 22, nemo, prẽter nos, indicavit, quicquid dissimulat propheta. Propter hoc enim multis Beroaldinis vapulavimus. Sed si ab Artaxerxe Mnemone, ad Codomannum, nullus rex fuit, quid faciemus Artaxerxe Ocho, qui XXIIII annos imperium in Persidе obtinuit, Ægyptum, quæ sub Notho rebellaverat, recepit, Iohanne filio Iojadæ, Eliasibi nepote summum sacerdotium gerente, sub quo ea contigerunt Ierosolymis, quæ apud Iosephum 340 referuntur? Huius etiam Iohannis meminit Nehemias XII, 22, quem tamen paulo ante Ionathan vocat ib. 11. Quid? quia Esdras nullius Pontificis max. sub Artaxerxe Mnemone mentionem facit, ideo n jurandum nullum Pontificem Max. sub Mnemone fuisse? Et tamẽ Paracletus hoc sancit. A laxata captivitate, ad Darium Codomannum, sex summorum Sa-

UVA. BHSC. SC 10877

cerdotum meninit Nehemia XII, Iosuæ filii Iosedek, Ioakim, Eliasib, Iojadæ, Ionathan, qui & Iohanan, Iadduæ. Et tamen solius Iosuæ Esdras, & Zacharias meminere. Ideone reliqui, fuerunt quidem, sed sacerdotio functi non sunt? Nugæ. Igitur sub Artaxerxe Ocho floruit Iohanan, sive Ionathan: sub Dario autem Codomanno, sub quo librum suum Nehemia scribebat, Pontifex erat Iaddua, teste ipso Nehemia, & Iosepho 343. Idē Nehemia ait sub se & Esdra pontificem fuisse Iakimum. Igitur a temporibus Artaxerxis Mnemonis, quum Esdras & Nehemias in Palæstinam advenerunt, summo sacerdotio fungebatur Ioakim filius Iosuæ filii Iosedek. ūde colligitur Iosuā admodum senem obiisse, quum eius filius Ioakim pontifex fuerit CVI annis post laxatam captivitatem: & consequenter frivolā illam obiectionem hinc profligari posse, quæ negat a captivitate laxata, ad templi continuationem sub Dario Notho, annos CVI non interfluxisse, propterea quod ad ripam Nicri homines tam vivaces non conspiciuntur Atqui videmus hic a laxata captivitate, ad ducatum Nehemiæ, & imperium Artaxerxis Mnemonis, sub novem regibus Persidis, unum tantum Pontificē Maximum mortuum fuisse, & contra, ab imperio Artaxer-

UVA. BHSC. SC 10877

taxerxis Memoris, ad victoriam Alexandri, sub quatuor Regibus quinque summos Pontifices fuisse. An hæ rationes, quas ex Nehemia collegimus, profanæ dici debent, quia mirifice sacrũ calculum in ordinem cogunt, viderit Paracletus. Certe, ut illuc, unde deflexim us, revertamur, helboriſmo eget, negare inter Artaxerxen Memorem, & Darium Codomannum, alios reges interiectos non fuisse: quum Artaxerxes Ochus partem Iudæorum ingentem in Hyrcaniam, & Caspium mare deportaverit, & Sidonem incensam solo æquaverit.

Non enim nisi duo duces populi Zerubabel, & Nehemias in tota monarchia Persica memorãtur] Hoc sane potuit contingere, si tam longævus fuit Nehemias sub Artaxerxe Mnemone, quãtum Zorobabel & Iosue. Sed fallitur paracletus, quod ait inter Zerubabel & Nehemiam, nullum ducem interpositum fuisse, quũ aliquot duces ante se extitisse Nehemias ipse ita clare scribat, ut quãtum paracletorum est, negare nõ possint. v, 15. *Quanuis*, inquit, *priores Duces, qui ante me fuerunt, populum aggravaßent*. Sane Hechalia pater ipsius Nehemiæ omnino dux populi ante filium fuit, nisi mors impediverit. Nam duces Iudæorum, qui & Æchmalotarchæ, nascebantur, non

Ibidem. b

UVA. BHSC. SC 10877

fiebant, pater a filio ex ſucceſsionis jure imperium accipientes, a maſculina Davidis ſtirpe demiſsi: quod ad hãc uſque diem durat in maxima urbe Bagded, ubi princeps non ſuffragiis populi, ſed ſtirpis jure imperat. Neque Muhammedani principes hoc jus illis inviderunt, utpote qui novo principe ſuccedente, tributum pro enthronismo ab illis exigunt, ut in novo Patriarcha Conſtantinopoli fieri ſolet. Nehemias igitur inter Zorobabel, & ſe, aliquot duces fuiſſe dicit: ut ſacer calculus hic admodum profanus ſit.

Pag. E. 2. a *Templum 46. annis ædificatum*] Hanc ineptiam ſupra confutavimus. De Templo enim ab Herode inſtaurato illi XLVI anni accipiendi ſunt. & pueri hoc jam ſciunt.

Ibidem. *Primum a Cambyſe prorege*] Quaſi prorex tantum, non etiam rex fuerit, qui VIII annos poſt patrẽ imperavit. Atqui Daniel numerat eum inter quatuor reges, qui poſt Cyrum exorituri erant. Vbi amiſit memoriam ſuam ſacer calculus, quum hæc ſcriberet? Deinde quis ferat, quod adjicit, templi ſtructuram ſub Cambyſe impediram. Infeſtatam ſane a finitimis, non impeditam fuiſſe uſque ad initium Artaxerxis Longimani, ſatis ſaperq; a nobis ex Eſdra demonſtratum eſt. Itaque & hic qnoque memoriæ conſtantiam in ſacro calculo requiro.

UVA. BHSC. SC 10877

Hoc fixo charactere] Semper Characterem usur- *Ibidem.*
pat pro Epocha. quod est absurdissimum. Epocha est id, cui character accidit, ut substantiæ accidit, quale, tale, ubi &c. Annus propheticus passionis est 3962, Character eius Sabbatū neomeniæ Nisan, qui character demonstrat illum annum esse, in quo Christus passus sit. Itaque tantum differt character ab epocha, quantum accidens a substantia. Nos, qui huius methodi auctores sumus, ita olim docuimus. Sed præterquam quod iste, quid sit character, ignorat, de eo tanquam re vulgatissima, & cuius nos auctores nō simus, loquitur. In quo negare non potest vel nos auctores esse illius rei se nescire, vel dissimulare. Vtrum malit, neutrum convenit aut prudenti aut bono.

Absit igitur, ut profanis Chronologis hanc palmam pag. E. 3. a
concedamus] Quis te elegit ἀγωνοθέτην, ut palmam concedas aut neges? Tuumne est palmam Chronologis concedere? Tune cum tanta inscitia hominibus doctis legem facies?

UVA. BHSC. SC 10877

IOSEPHVS SCALIGER
Franciſco Gomaro ſuo S.

ACcipe tuum Chronologum, ſi modo hoc nomine dignus eſt. Opus fuit patientia, & bono ſtomacho, in tam brevi libello tantum nugarum devorare potuiſſe. Ne ſemel quidem verum dixit. Imperitiam hominis magis mirer, an confidentiam, neſcio. Certe multum arrogantiæ, nihil eruditonis in illo animadvertere potui. Idiotam quoque eſſe oportet, qui ait atrocem injuriam Spiritui ſancto fieri, quod ad ſacram Chronologiã illuſtrandam ſubſidia ex hiſtoria exotica petantur. Riſi, quum legi. Nam quid aliud facerem? Beroaldus jamdudum mortuus ex inferis excitatur, hoc eſt Chronologiæ ejus deliria, quæ tanta ſunt, ut vel pueris ille vapularit. Ex illo fanatica illa oracula prodierunt, Abraham, & Sem non fuiſſe fratrum ſuorũ maximũ natu: Cyrum laxaſſe Judæorũ captivitatẽ anno 1 Olymp. LXXXI, quum Herodotus eſſet annorum XXIX, & geſta Cyri, Cambyſis, Smerdios Magi, atque Darij Hyſtaſpidæ ſcriberet. Cui inſaniæ quæ poteſt alia conferri? Hæc ſtercora iſte magno ſtudio colligit, ut illis epulum ſuum inſtruat, quo ſtultam juventutem excipiat. Quam ſtrenue illa Beroaldina ſomnia a nobis confutata ſint, ex ijs, quæ in Elencho demonſtravimus, animadverti poteſt. Et tamen ſomnium iſtius Chronologi de illo decennio ætatis Abrahami, quo multum gloriatur, iſtis fabulis tanquã munimen-

UVA. BHSC. SC 10877

munimentis, nititur. Iam illis profligatis, quid supereſt, quam ut miſerum illud decennium irritum eo redeat, unde pedem extulit? Certe illo decennio nihil vanius. Denique, ſi iſti Dictatori credimus, ſecundum profanum calculũ Renus erit in Germania, ſecundum ſacrum calculum in Jndia. Ignorat iſte profanitatum buccinator, ſacram ſcripturam mendaciis & falſis interpretationibus profanari: in ore autem hominis pagani veritatem omnem ſacram eſſe. Nimis arrogans eſt illa jactatio de ſacro calculo. Denique iſte Cenſor quum quod Eclipſibus, quæ ſub Cambyſe & Dario Hyſtaſpidæ contigerunt, opponat, non habeat, tamen invitis motibus cæleſtibus, antiquitatis teſtimonio, & ſcriptoribus omni exceptione majoribus, Cyrum ſeptuaginta quatuor annis poſt obitum ejus in ſcenam producit ad mimum Beroaldinum agendum. Tanta eſt hiſtoriæ veteris inſcitia, ut LV *Olympiadem, qua Cyrus imperare cæpit, rem adeo vetuſtã eſſe putet, ut neceſſe ſit eam a Græcis ignoratam fuiſſe. Jnſaniam cum eo, ſi pluribus te morer. ſi hominem tanti facis, ut eum a tam temerariis auſibus caſtigatione tua deterreri poſſe ſperas, tuum eſt eum monere. Si pergit, expectandum, ut editione Chronologiæ ſuæ omnibus naſutis ſeſe deridendum propinet. Iuſtiores pœnas Chronologiæ profanatæ illi imprecari non poſſum.*

Vale.

O

UVA. BHSC. SC 10877

Errata in Elencho ſic corrige.

Pag. 23. lin. 12. allatas.
Pag. 33. lin. 7. אֲלִיָּחוּ יִתְרֹץ בֹּל קַשְׁיוֹת וּבָעְיוֹת
Pag. 37. lin. 10, παιδελὴς
Pag. 53. lin. 1. Noa annos natus.
Pag. 55. lin. 1. aliquod.
Pag. 59. lin. 22. juxta illum.
Pag. 65 lin. 17, סָרַח
Pag 69. lin. 6. annorum XIII *abſolutorum.*
Ibidem. סִימָבִין
Pag. 72 lin. 24. propiora.
Pag. 75. lin 15. diei XVI *Iulij.*
Pag. 82. lin. 1. ἰή.
Pag. 83. lin. 23. dies LXXXIIII.
Pag. 86. lin. 20. in Palæſtinam, ſunt anni.
Ibidem lin. 24. Encænia.

Errata Orat. Chron. ſic corrige.

A. 2. b. lin. 2. τύπῳ. *4.* ξένιον. *A. 4. a. 1. id interu. B. 1. b. 7. Neſciebat. C. 1. b. 16. leg. 25. C. 2. a. 6. leg. 2. Reg. 24. C. 2. b. 12. in marg. Hebdomades. C. 3. b. 25. Demite ab. D, 3. b. 10. obſcurè. D. 4. b. 4. magis. Ibidem marg.* ἰλλ. *E. 1. b. marg.* μισθούμενος. *E. 4. b. 32. ad aram.*

UVA. BHSC. SC 10877

ELENCHVS

FANATICÆ CHRONOLOGIÆ.

	Annorum Mundi Epocha vera	Epochæ falsæ in annis propheticis	Veræ epochæ in annis propheticis	μετα Χριστον
Exodus	2453	2523	2433	90
Conditus Templi	2933	3003	2913	90
Roboam	2969	3039	2949	90
Abia	2986	3056	2966	90
Asa	2988	3059	2968	91
Iosaphat	3024	3099	3009	90
Ioram	3054	3123	3034	89
Ochozia	3062	3127	3035	85
Athalia	3063	3127	3043	84
Ioas	3069	3133	3049	84
Amasia	3109	3173	3089	84
Ozzia	3138	3199	3118	81
Ioatham	3190	3251	3170	81
Achaz	3206	3267	3186	81
Ezekia	3222	3282	3202	80
Manasse	3251	3308	3231	77
Amon	3306	3362	3286	76
Iosia	3308	3364	3288	76
Ioachaz	3339	3394	3319	75
Ioakim	3339	3394	3319	75
Iechonia	3350	3404	3330	74
Sedekia	3350	3404	3330	74
Excidium Templi	3360	3415	3340	75

	Veræ epochæ in annis propheticis	
Olympias Iphitea	3154	
Thoth Nabonassari	3183	Chaldæi. Hipparch. Canon astronomicus.
Merodach	3209	II Reg. XXII, 12. Isaiæ XXXIX, Ptol. Can. astron.
Nabopollassar pater Nabuchodonos.	3305	Ptol. Doctrina anni Chald.
Expeditio Nabuchodonosori	3322	Daniel. I. Ierem. XXV, 1.
Trigesimus ann. Nabopollassari	3334	Ezekiel. I, 1.
XVII annus Iobel XVIII	3359	Ezekiel. XXIX, 17.
Baltasar nepos Nabuchodonosori	3371	Canon astron.
Cyri initium Persicum	3370	Omnes Scriptores.
Initium Darij Medi inquilini Babyl.	3375	Berosus. Canon astron.
Cyri initium Babylonicum	3392	Canon astron.
Cyri initium Asiaticum	3399	Doctrina anni Persici. Esdr. I, 1. IIII, 5.
Cambyses	3400	Chaldæi. Can. astron. Omnes Græci.
Magi	3408	
Darius Hystaspides	3409	Canon astron. Omnes Græci. Esdr. IIII, 5.
Xerxes Magnus Darij F.	3444	Canon astron. Omnes Græci. Esdr. IIII, 5.
Ar tabanus	3464	
Artaxerxes Longiman. Xerxis F.	3465	Can. astron. Omnes Græci. Esdr. IIII, 7.
Bellum Peloponesiacum	3499	
Xerxes minor	3505	
Sogdianus	3505	
Darius Nothus	3526	Can. astron. Omn. Gr. Esd. IIII, 24 V, 5. VI, 5. Hagg. I.
Artaxerxes Memor	3565	Can. astron. Omn. Gr. Esdr. VII, Nehem. I.
Artaxerxes Ochus	3591	
Arses	3595	
Darius Codomannus	3930	Canon astron. Omn. Gr. Nehem. XII, 22.
Kalendæ primæ Julianæ	3885	
Annus I Christi Dionysianus	3930	
Annus XV Tiberij	3958	
Annus Passionis	3962	
Annus excidij Templi	3999	

Hic elenchus collocandus est inter pag. 4. & 5.

UVA. BHSC. SC 10872

SC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

IOSEPHI SCALIGERI

Iul. Cæs. a Burden F.

ELENCHVS

Primæ ORATIONIS Chronologicæ

DAVIDIS PAREI.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ Ioannis Patii. An. CIↃ.IↃ.C.VII.
Impensis Ludovici Elzevierii.

UVA. BHSC. SC 10877

IOSEPHI

SCALIGERI

Jul. Cæs. à Burden F.

ELENCHVS

Primæ Olympionicarum Chronologiæ

DAVIDIS PAREI.

LVGDVNI BATAVORVM,

Ex Officina Ioannis Patii. Academ. Typographi.

Impensis Ludovici Elzevirii.

UVA. BHSC. SC 10877

IOSEPHVS SCALIGER
FRANCISCO GOMARO
SVO S.

Vemadmodum ſolemus eos, quos antea non vidimus, aut ex parentum, aut ex fratrum ſimilitudine agnoſcere, ita orationis illius, cujus copiam mihi feciſti, tametſi ea patris ſui nomen non præferret, ex ſimilitudine alterius, quis ejus pater fuerit, ignorare non potui. In utraque enim argumenta ea, quibus arrogantia ſe prodere ſolet, inſcitia bonarum literarum, earumque odium, ita emicant, ut qui alterutram viderit, utranque norit: imprimis incredibilis confidentia, qua adverſus fidem hiſtoriæ, & receptorum veterum ſcriptorum auctoritatem auctor ſatis ſe munitum putat, quum ex Spiritus ſancti oraculis, & limpidiſsimis, quos vocat, ſcripturæ fontibus, ſe omnia hauſiſſe gloriatur: ut duo hinc neceſſario concludantur, reliquos doctos viros ex

UVA. BHSC. SC 10877

ſterquiliniis ſuas Chronologias eruiſſe, illum autem ſua deliria ex Spiritu ſancto. Vnde factum, ut a Cyro, ad Alexandrum, quinque tantum reges Perſidis fuiſſe juratus vociferetur, & Cyri tempora ad illum tractum ævi perducat, quo Herodotus geſtorum Cyri, Cambyſæ, Magorum, Darii Hyſtaſpidæ, Xerxis ſcriptor annum ageret vigeſimum nonum. quo quidem nihil portentoſius dici potuiſſe, nemo tam projectæ impudentiæ eſt, qui negare audeat. Hujus væcordiæ patrem eſſe Matthæum Beroaldum jam indicavimus, cujus utinam Chronologia tam proba eſſet, quam vita ejus fuit. ſed male de poſteritate meruit, qui primus auſus ſit ſęculi ſui aurum deterrimo metallo decolorare: quo conſecutus eſt, ut nemo paulo intelligentior ſit, qui non hanc doctrinam beſtiæ potius, quam ulli homini convenientem, omni deteſtatione execretur: ut reipublicæ literarię interfuerit, aut illũ ea nunquam edidiſſe, aut ea perpetuo ſilentio damnata fuiſſe: ut illi ſcriptioni id contingeret, quo nihil felicius homini accidere poſſe Græci teſtantur, ἢ μὴ γνέσθαι, ἢ γνόμενον ὡς τάχιστα θανεῖν. Poſtquam illa Chronologia in lucem prodiit, nemo fuit, qui nõ ſolum phreneticam illam doctrinam, ſed

UVA. BHSC. SC 10877

sed etiam arrogantem titulum abominaretur. Quid enim, ut alia taceam, confidentiæ, & inscitiæ reliquum fecit, 'quam quum Cyri tempus in vigesimum nonum annum ætatis Herodoti conjicit? & certe invenit, quibus persuaderet, sed fatuos, sed agrestes, & arrogantes, &, quod dolendum est, qui auctoritate sua simplici juvẽtuti imponere possunt. Eusebius, ut ad rationes suas tempora Assyriæ regum accommodaret, non aliter id cõsequi potuit, quam quatuor regibus ex ea successione exclusis: ut autem easdem rationes cum Ægyptiis regibus compararet, unam dynastiam præterivit, & ex sequenti duas fecit. Improbe sane factum, & tam ab Episcopi fide, quam historici partibus alienum, sed quod tamen Beroaldi audacia superat. nisi forte Beroaldinorum sectariorum major impudentia est, qui nihil aliud crepant, quam limpidos fontes, Spiritum sanctum, atrocem injuriam fieri sacræ Scripturæ, si ei ancillantes literas exoticas demus. Certe si nõ est alius Spiritus sanctus præter fanaticorum hominum deliria, jam actum est de fide historiæ sacræ, de verbo divino, de sincero Dei cultu. Illis nihil sacri est, nisi quod ex Beroaldi Eleusiniis depromptum est, nihil

UVA. BHSC. SC 10877

purum, ſi non ex illa lutulenta cloaca hauſtum ſit. Quam bono ſtomacho me eſſe oportet, qui hanc orationem tam patienter legi, præſertim quum multa ſint in ea, quæ in altera habentur, quæ quia in altero elencho ſtrenue cõfutata ſunt, hic iteranda non putavi, ne miſeri ſcriptoris vulnera refricarem, & gladiatori confecto novum ſecutorem mitterem. Pauca tamen carptim in ea ſublegimus, idque intra modum, ne more aretalogorum pro triumpho Sardes venales oſtentaremus. Argumentũ hujus propheticæ orationis ipſo titulo indicatur. De hebdomadibus Danielis agitur: quæ cum ſint ſcopulus tam doctorum, quam imperitorum hominum, nemo illas prætervehi potuit ſine naufragio. Sed & verba Danielis peſsime interpretata animos addidere audaciæ, ut duo flagitia adverſus mentem Danielis committeret: prius, ut initium earum a laxatione captivitatis deduceret, alterũ, ut tempora de rerum natura tolleret, cujus inſaniæ auctor eſt Matthæus Beroaldus. quæ major aſinitas, an confidentia fuerit, equidem mecum ſtatuere non poſſum. Et hujus Patriarchæ familia hoc vocat decretum Spiritus ſancti, quod verum quidem eſt, ſed illius Spiritus,

quem

UVA. BHSC. SC 10877

quem circunferebat Montanus. Quia igitur unum verbum in vaticinio Danielis pefsime expofitum iftis Beroaldinis Epoptis hæc myfteria peperit, verbum illud, quo totius litis cardo vertitur, prius difcutiamus. In Daniele legimus מִן מֹצָא דָּבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלִַם quæ ita etiam a doctifsimis hactenus interpretata funt: *Ab exitu verbi ad reducendum (populum) & ædificandum Jerofolyma.* Epoptæ Beroaldini jam fe ad facraria Eleufimorum admiffos putant. jam rem factam habent. Ergo, inquiunt, a reductione populi initium fumunt Hebdomades. Ecquando vero reductus eft populus, quam tempore Cyri, quum laxata eft deportatio populi? A laxata igitur captivitate deducendæ funt illæ Hebdomades. Ita colligunt Beroaldini, quibus interpretatio illa hanc viam præivit. Iudæi videntur illius auctores effe. Gaon enim Sahadia idem dicit: לְהָשִׁיב הַגּוֹלָה מִבָּבֶל וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלַיִם *ad reducendum deportationem ex Babylone, & ad ædificandum Jerofolyma.* Iudæorum igitur hoc commentũ eft adverfus regulas Grammaticæ. Nam, fiquid in literis videmus, Vau copulativa refert utrunq; infinitivum ad eundem cafum, hoc eft Ierofolyma. *Ab emiffione edicti ad reftituendum & ædificandum Ierofolyma.*

Quis

UVA. BHSC. SC 10877

Quis ſanus negaverit tam verbũ reſtituendi, quam ædificandi, ad eadem Ieroſolyma pertinere? Scipio transfretavit in Africam ad obſidendum, & delendũ Carthaginem. An nõ his tam obſidenda, quam delenda Carthago intelligitur? Hebræis הֵשִׁיב quidem eſt reducere; ſed & idem eſt reſtituere: & reſtituere terminum dicunt, quum in eodem loco, ubi antea fuerat, terminus reponitur. II. Reg. XIIII. 25. Ibid. de Ælath Iuda dicitur, Regem eam inſtauraſſe, & reſtituiſſe Iudæ. הוּא בָּנָה אֵילַת וַיְשִׁיבָהּ לִיהוּדָה. *Ædificavit Ælath, & reſtituit eam Iudę.* Sane eadem verba ſunt בָּנָה, & הֵשִׁיב, quæ apud Danielem. Igitur, quod diximus, tam לְהָשִׁיב refertur ad Ieroſolyma, quam לִבְנוֹת. Et certe etiam ſi uſus loquendi, & ratio Gtammaticæ id non exigeret, ſaltem aliter interpretari ipſe Daniel vetaret. qui paulo poſt mentem ſuam κατ' ἐπιξήγησιν exponit. תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה רְחוֹב. *Iterabit, & ędificabitur Ieruſalem.* hoc eſt inſtaurabitur Ieruſalem. Hebręi, ut ejus ſermonis periti ſciunt, nõ poſſunt præpoſitionem ἀνὰ reddere, niſi verbo שׁוּב. Nam ἀναπλάζειν non poſſunt repræſentare, niſi duobus ſimul cõjunctim הֵשִׁיב & בָּנָה. Itaque לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת eſt ſimpliciter ἀναπλάζειν, ἀνοικοδομεῖν. Rurſus תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה ſimpliciter eſt ἀναπλασθήσεται, ἀνοικοδομηθήσεται. Neq;

aliter

UVA. BHSC. SC 10877

aliter vertendum: non autem ſingulis illis verbis ſuum caſum attribuendum, alterum tacitum, alterum expreſſum. Quæ anilia ſunt deliria. Sane vetus interpretatio Græca, qua Tertullianus uſus eſt, (non enim eadem cum ea, quam hodie in manibus habemus) mentem Danielis aſſecuta eſt. Nam Tertullianus vertit *integrando, & reædificando Jeruſalem.* quod profecto rectum eſt. Sed nihilo ſincerius ſequentia verba Danielis exponunt יִכָּרֵת הַמָּשִׁיחַ וְאֵין לוֹ Ad verbum: *Excindetur Meſſias, & non eſt ſibi.* vel, *& non erit ſibi.* Huic loco quot interpretes, tot interpretationes ſunt. Beroaldina ſchola: *Excindetur Meſſias, ſed non erit ejus hæc exciſio.* Quanvis in hac interpretatione maximum argumentum eſt imperitiæ Hebraiſmi, & confidentiæ Beroaldinæ: tamen non inſultabo febriculoſo Prophetæ, qui nihil niſi alienum promit. Atqui לוֹ eſt abundans, ad amplificationem tantum poſitum. ut exempli gratia, ἐμφατικώτερον eſt לֵךְ לְךָ, quam לֵךְ. item צְאִי לָךְ, quam צְאִי. denique חֲלַף-לוֹ quam חֲלַף. ſic אֵין לוֹ eſt plenius, quam אֵין. Vertendum igitur: *Excindetur Meſſias, & omnino non erit.* hoc eſt; deſinet inter homines in terra degere, receptus ad Patris dexteram. Actor. 1, 11. Huic Spiritus ſancti dicto Spi-

UVA. BHSC. SC 10877

ritum ipsum sanctum, non spiritum Beroaldi-
næ φρενίτιδ interpretem damus Esaiam LIII,
8. כִּי נִגְזַר מֵאֶרֶץ חַיִּים. *Quia succisus est de terra viventium.* Et profecto Tertullianus ita reddidit: *Et exterminabitur unctio, & non erit.* Græce ita vertendum fuisset: καὶ ἐκκοπήσεται ὁ χριστὸς, καὶ ἀφανισθήσεται. Sed ad Hebdomadas redeamus. Quum igitur recutitorum hoc commentum sit, qui לְהַשְׁלִים תּוֹ referunt ad casum tacitum, & supplendũ הָיָה, quod est adversus omnem usum loquendi, ut ex copula perspicuum est: nulla ratio relinquitur aut Iudæis, aut Beroaldinis, qua septuaginta hebdomadas a reversione populi, & edicto Cyri ordiri possint. Itaque omnes illę machinæ, quibus veritas a Beroaldinis assultibus oppugnabatur, labefactatæ sunt. Prius igitur verba Danielis expendamus. *Septuaginta Hebdomades præcisæ sunt super populo tuo, & sancta civitate tua.* Est quasi titulus & quædam conjectio caussæ: qua strictim comprehenduntur, quæ postea per partes fusius exponuntur. Hebdomades exitio populi, & civitatis sanctæ terminantur. quod ita diserte a Daniele cõcipitur, ut per illud Beroaldinis silere liceat. Quid enim est præcisas esse hebdomadas super populo & urbe, quam populi & urbis eundem, qui hebdoma-

dum

UVA. BHSC. SC 10877

dum erit, finem fore? Quum Ionas clamaret cap. III, 4. *Quadraginta dies adhuc, & Ninive subvertetur*: quid aliud est, quam præcisi sunt quadraginta dies Ninivæ urbi? Quemadmodum igitur quadraginta dies excidio Ninives, ita septuaginta hebdomades exitio Ierosolymorum finiuntur. Neque vero hic ulla phrenitis Beroaldini corybantiasmi est. Simplicissimus sensus est. Nemo quid huic opponat, habet. Post titulum & conjectionem caussæ, per partes omnia exponit. Sequitur: *Scito, intellige: ab emissione edicti de instaurandis Ierosolymis.* Ab edicto eas hebdomadas orditur, exitio Ierosolymorum terminat. Ab utro edicto? Duo enim omnino fuerunt, quæ verbis diserte concepta extant, prius quidem Cyri, Esdræ VI, 3: posterius Darii Nothi, ibid. 6, 7, & deinceps. In neutro edicto mentio est instaurationis Ierosolymorum. Nam Epistola Artaxerxis Memoris non venit in hunc censum, quum ad Esdram tantum, & eos, qui una cum eo in Palæstinam profecti sunt, pertineat. In hoc bivio quodnam iter insistemus? Ne alium indicem quæramus, intendit digitum ipse Daniel, ita ut errare per eum non liceat. *Ab exitu verbi integrandorum Ierosolymorum*, & paucis interjectis:

UVA. BHSC. SC 10877

dis: *instaurabitur platea & murus, idque in angustiis temporum.* Instituit igitur hebdomadū initium ab eo edicto, post quod Ierosolyma instaurata sunt cum mœnibus & plateis, in angustiis temporum. Ecquando Ierosolymorum platea extructa, & murus instauratus angustissimo dierum tractu, quam vigesimo anno Artaxerxis Memoris? Vere enim angustiæ temporum dici possunt tum propter Arabum finitimorum assultus, tum propter brevitatem temporis, intra quod tantus muri ambitus absolutus est. Quinquaginta enim duobus diebus opus omne cōsummatum. Nehem. VI, 15. Excussit mihi risum Gaon Saadia, qui angustiastemporum exponit, labores, & vigilias, quas obeunt Sacerdotes, & Levitæ in stationibus suis. Et profecto omnes omnium Iudæorum commentarii in Danielem nihil præter plumbeum stuporem præferunt. Habeo etiam Commentarium Aben Ezra manu scriptum diversum prorsus ab edito, qui ut eundem auctorem, ita eadem deliria profitetur. Cum igitur Daniel hebdomadum initium instituat ab eo edicto, post quod Ierosolyma in angustiis temporum excitata sunt, hoc autem non contigerit, nisi post edictum Darii; ab edicto

igitur

UVA. BHSC. SC 10877

igitur Darii, & ejus anno ſecundo, hebdomades initium capiunt. Quanvis autem edictum Darii de excitandis muris Ieroſolymorum nō extat, tamen omnino a Dario factum fuiſſe neceſſe eſt; quia Nehemias audito ex Anani, qui recens ex Palæſtina in Suſianam ſe contulerat, adhuc urbem in ruderibus jacere, portaſque ejus, quæ a Nabuzardan, & exercitu Chaldæorum incendio corruptę fuerant, nondum refectas eſſe, non potuit continere lacrimas, & a luctu ſe abſtinere: quod profecto non feciſſet, niſi credidiſſet jam mœnia inſtaurata, & urbem priſtinæ integritati reſtitutam eſſe. Reſtitui autem non potuit, niſi ex edicto ejus, qui etiam templi reponendi poteſtatem fecerat. Igitur hebdomades ab edicto Darii Nothi incipiunt, & in excidio Ieroſolymorum deſinunt. Daniel IX, 24, 26, 27. Vbi hæc ita diſerte expreſſa extant, ut non opus ſit indice. Ipſa ſatis ſeſe produnt. Et tamen iſte Beroaldinus Hierophanta hebdomadum initium repetit a reditu populi, propter Iudaicum illud deliriū, quo לְהָשִׁיב exponitur, *ad reducendum populum*: quo a nobis confutato, ſupereſt, ut miſera illa oracula ex limpidiſſimis ſcripturæ fontibus haurienta (ſi credere fas eſt) magnum ludibrium de-

UVA. BHSC. SC 10877

beant. Nam si septuaginta hebdomades Danielis cum decem hebdomadibus deportationis conjungantur, fient omnes anni DLX a deportatione Iechoniæ, (unde initium deportationis) ad finem hebdomadum Danielis. Sane a deportatione Iechoniæ DLX anni numerati desinunt in anno IIII imperii Augusti. Quis continebit aut risum, si stuporem considéremus, aut stomachum, si confidentiam? Quid magis portentosum, quam illas hebdomadas eo deducere, ut finis earum LXXII annos passionem Christi, CIX autem excidium Ierosolymorum antevertat, quum tamen diserte Daniel illis & cædem CHRISTI Principis, & finem Ierosolymorum includat? Potest aliquis aut sensu communi præditus, aut mentis compos hæc probare? Vrget tamen confidentia. Hebdomades incipiunt a reductione populi, & ab Ierosolymorum instauratione. Prius valide confutatum. De Ierosolymorum ædificatione videndum. Quomodo, inquit, poterant ibi templum construere, & victimas immolare, si quidem Ierosolyma nō habitabantur? Certe non dubium est ibi exiguum hominum numerum habitasse in tuguriolis, attegiis, aut potius tentoriis. Sed Sacerdotes,

UVA. BHSC. SC 10877

dotes, Levitæ, & Nathinæi, redeunte stationū orbe, ex villis, & agris Ierosolyma ad functiones suas conveniebant: ut clare ex Esdra, & Nehemia colligitur. Itaque iste, qui Theologiam profitetur, adeo supine scripturam legit, ut nescierit Ierusalem, usque ad Nehemiæ adventum, desertam jacuisse, nihilque in ea immolitum, præter templum fuisse. Quid clarius illis? *Civitas domus sepulcrorum majorum meorum desolata est.* Nehem. 11,3. Item: *Vos nostis afflictionem, in qua sumus, quia Ierusalem deserta est, & portæ ejus consumptæ igni.* Ibid. 17. Vtrobique est חָרְבָּה ἔρημος, ἀοίκητος. quod verbum, ut mediocriter docti sciunt, accipitur de loco ab omni cultu & habitatoribus vasto. Quæ quum luce clariora sint, tamen antistes Beroaldinorum initiorum a nobis confessionem extorquere nititur, jam a laxata captivitate sub Cyro Ierosolyma domibus, & habitatoribus frequentata fuisse. quo concesso, commentum valet, ut negato, id perire & evanescere necesse est. Quare jam a Cyro usque Ierosolyma domibus exculta, plateas instauratas fuisse ita cōfidenter scisciit, ut, qui aliter sentiat, magnam & atrocem Spiritui sancto injuriam facere eum dicat. Certe, si qui aliter sentiunt, ii atrocem injuriam Spiritui

UVA. BHSC. SC 10877

ritui ſancto faciunt, ſane in illis primas obtinebit Nehemias, cujus verba hæc ſunt VII, 4. *Urbs autem erat lata ambitu, & magna, populus autem exiguus, & domus inædificatæ non erant.* Atrocem injuriam facis Spiritui ſancto, magnanime Nehemia, qui nunquam legeris Chronologiam Beroaldi, & auſus ſis poſteritati prodere, vix tandem anno XX Artaxerxis Memoris domibus & ædificiis occupari & excoli Ieroſolyma cœpiſſe, idque quo tempore tu nõ ſolum illis faciendis intereſſes, ſed etiam præeſſes. Sed qui hoc unico dicto magnam invidiam tibi apud Myſtas Beroaldinos creaveris, quanto majore in culpa es, qui non ſolum te plateas conſtruxiſſe, & ædificia prima Ieroſolymis immolitum fuiſſe prædicas cap. II, 8, ſed etiam te primum ſedes, & domicilia popularibus tuis in urbe aſsignaſſe, toto capite XI? *Et habitarunt principes populi Ieroſolymis. Reliquum populi jecit ſortes, ut decima pars traduceretur in urbem ſanctam Ieroſolyma, novem autem partes in urbes.* Ecce prima habitatio Ieroſolymis, & primæ ſedes aſsignatæ eodem tempore, quo & domicilia excitata. Quia aperto Marte in anguſtum copias ſuas cogi videt, cuniculis veritatem adoritur. Domus Ieroſolymis erant, inquit,

jam

UVA. BHSC. SC 10877

jam a reditu populi ſub Cyro, quia Haggæus Propheta Iudęis exprobat eos domos habitaſſe laqueatas, aut tabulatas, & Nehemias v, 3 inducit populum quiritantem domos ſuas pignori datas eſſe. Ergo domus erant ante xx annum Artaxerxis Memoris. Hic non ſolum literarum peritiam requiro, ſed etiam ſenſum communem. Nam vel locus unicus Haggæi, quo maxime nititur, contra eum facit, ex quo manifeſto colligitur, domus illas non Ieroſolymis, ſed in agris, aut in aliis urbibus fuiſſe. *Domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam.* Quod enim eos in domos ſuas currere ait, id diſerte indicat, non Ieroſolymis eas fuiſſe, ſed ibi, quo ut irent, curſu & longo itinere opus eſſet. Sacrificio peracto, inquit Haggæus, nihil antiquius habetis, quam ut unuſquiſque extra Ieroſolyma cõtento curſu, aut magnis itineribus ſeſe conferat, quum interea domus mea inchoata maneat, & nemo ſit, qui non ſuarum ædium majorem, quam domus meæ, curam regat. Tantũ vero abeſt, ut ulla domus tabulata Ieroſolymis tunc fuerit, ut Nehemias ex epiſtola Regis petat a prefecto ſaltus regii ligna, quibus domum, quam ſibi conſtructurus erat, contabularet, Nehem. II, 8.

UVA. BHSC. SC 10877

Et ad coassandum domum, quam ingressurus essem. nimirum quam sibi paraturus erat. Certe Nehemias princeps gentis Iudaicæ ædes nullas coassatas aut cõtabulatas Ierosolymis habuit. quanto minus habebunt cæteri? Et quas denique ædes ibi fuisse putemus, ubi nullas fuisse adeo perspicue Nehemias ipse testatur VII, 4? Iam ex populi verbis, domos & vineas suas pignori oppositas conclamantis, colligere ædes ullas fuisse Ierosolymis, ea vero major stultitia est. Nam illæ domus erant, ubi & ipsæ vineæ. Et certe hic multum lusit Beroaldina prophetia. Vnus, idemque primus omnium dux Nehemias domibus Ierosolyma excoluit, ut in antecedentibus a nobis demõstratum est. Sed ita clare a sapiente Iesu Siracide id expressum est, ut majori teste opus non sit, Cap. XLIX, 15, καὶ Νεεμίας ἐπὶ πολὺ τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ τῷ ἐγείραντι ἡμῖν τείχη πεπλωκότα (III. & VI, 15.) καὶ στήσαντος πύλας καὶ μόχλους (III, 3, 6, 13, & C. VII, 3.) καὶ ἀνεγείραντι τὰ οἰκόπεδα ἡμῶν. Ecce Nehemias ἀνεγείρας οἰκόπεδα, quod est domos ex ruderetis excitare Sed pertinacia victas manus rationi non dat. Aggreditur nos acutissimo telo: Ierosolyma ante Nehemiam cõstructa & domibus occupata fuisse vel hinc patere; quod urbs jam vocabatur Ierosolyma tempo-

UVA. BHSC. SC 10877

tempore Esdræ VI, 5. quod profecto, inquit Spiritus sanctus Beroaldini fani, nõ fieret, nisi jam domus in urbe antea extructæ fuissent. Homo acutissimus ex eo conjicit jam Ierosolyma instaurata fuisse, quia Darius Nothus præcipit vasa, quæ Nabuchodonosor abstulerat, Ierosolyma referri. Si, inquit, vasa Ierosolymis restitui imperat, ergo Ierosolyma jam erant, & proinde jam instaurata a laxata deportatione. Atqui, inquit, Cyrus vocat Ierosolyma, quum tamen nondum restituta essent, imo nulla prorsus erant. In fine Chronicorum Rex Cyrus ita loquitur. *Deus præcepit mihi, ut sibi domum construerem in Ierusalem.* Sed tunc nulla Ierusalem erat, sed potius cumulus ruderum. Psalmo LXXIX, 1. Quanta stultitia est, quanta ἰδιωτεία ignorare loca, ubi urbes fuerunt, urbium ipsarũ appellationes remanere? In II Samuel X, 5. *Manete in Jericho, donec crescat barba vestra.* Et tamen nulla erat Iericho, quam deleverat Iosue in execrationem & exitium filiorũ ejus, qui eam ex ruderibus excitaret. ideoque eam dicitur Hiel Bethelites instaurasse in exitium filiorum suorum. I. Reg. XVI, 34. Quis nõ miretur Theologi acumen, qui tam subtili sophismate cornicum oculos configere voluit?

UVA. BHSC. SC 10877

Hinc patet, quum Ierosolyma deserta fuerint, & ab omni ædificiorũ cultu vasta, a casu Sedekiæ, ad xx annum Artaxerxis Memoris, urbem cciii annos sine ullis ædificiis fuisse, præter templum, nisi & Nehemias atrocem Spiritui sancto injuriam fecerit, qui bis Ierosolyma deserta vocavit, & alibi nullas domos in ea fuisse scribit. Id quod tamen pugnare videtur cum verbis Danielis ix, 2. *Ego intellexi in libris* (id est inter legendum) *verbum Domini, quod factum est Ieremiæ Prophetæ ad implendum septuaginta annos desolationis Jerusalem*. Constat totos illos septuaginta annos Ierosolyma desolata non fuisse. Nam septuaginta anni toti sunt captivitatis, non desolationis. Captivitas a capto lechonia: desolatio ab excidio templi. Daniel vero respicit ad finem hebdomadum, quo desolatio simul & captivitas clauditur, non ad intervallum, quod non est totum desolationis. Exemplum præclarum habemus in fine Chronicorum xxxvi, 21. *ad implendum verbum Dei per ministerium Jeremiæ Prophetę, quandiu terra amaret Sabbata sua, omnes dies desolationis Sabbata celebravit, aut quievit, donec complerentur septuaginta anni.* Manifesto dicit terram tandiu obiviſse Sabbata sua, quandiu duravit desolatio. duravit

autem

UVA. BHSC. SC 10877

autem desolatio annos $\overline{\text{LX}}$, non $\overline{\text{LXX}}$. Ad finem igitur septuaginta annorum prophetia respicit, non ad totum $\overline{\text{LXX}}$ annorum intervallum. Nam tametsi quatuor duntaxat annos desolata fuisset, tamen desolatio clauderetur exitu annorum septuaginta. Si enim septuaginta annorum intervallum a casu Sedekiæ iniret, septuagesimus annus incideret in secundum Darii Hystaspidæ, quod etiam Eusebius somniavit. Igitur terra requievit Sabbata sua, quandiu nõ coleretur. quod verbis Mosis perspicue exponitur Levitici $\overline{\text{XXVI}}$, 34, 35. *Tunc terra acquiescet Sabbatis suis omnes dies, per quos desolata erit, & per quos eritis in hostico solo. Tunc igitur terra requiescet, & acquiescet Sabbatis suis. Per omnes dies, quos desolata erit, requiescet, quum alioquin non cessaret, quandiu ibi habitaretis.* Sed redeamus ad sacra Beroaldina. Iam Prophetam nostrum in ordinem coëgimus. A populi reductione hebdomadas ordiebatur. Sed populus in verbis Danielis neque expresse, neque tacite intelligi potest. Rursus ab Ierosolymis instauratis. Sed Ierosolyma $\overline{\text{CXXXIIII}}$ annis instaurata sunt, postquam populus in terram rediit. Quo confugiet Propheta Chronologus, quãdoquidem de omnibus præsidiis, quibus maxime fidebat, deje-

UVA. BHSC. SC 10877

ctus est? Miseret me hominis; vel potius pudet, qui tanta confidentia fuit, ut aliud initium, aliumque finem hebdomadum constituerit, quam Daniel, qnod impium est. Daniel includit Hebdomadum gyro exitium Ierosolymorum. Iste Propheta excludit. Itaque ne ipsa quidem Salus eum servare possit, qui quum Theologiam profiteatur, tam oscitanter scripturam legerit, ut aliorum interpretationibus contentus, ex illis male intellectis verbū Dei ignominiæ exponat. Quod autem omnes interpretes adeo ęstuant, ut in verbis Danielis VII hebdomadas, item LXII ad aliquod intervallum historicum referant, eos frustra esse in superiori Elencho demōstravimus. Et certe hic est, ubi judiciū, & sensum aliquem cōmunem in illis requiram, quum intra illas hebdomadas nihil post XLIX annos, nihil post CCCCXXXIIII acciderit, quod ad rem pertineat, puta ad Messiam, aut ad templi excidium. Sed aio illos numeros esse simpliciter partes earum hebdomadum, non autem intervalla historica. Quum enim numeri, pondera, & mensuræ varient propter multas causas tam apud Hebræos, & Græcos, quam alias nationes, scriptura solet illi ambiguitati occurrere, aui dividēdo quan-

titates

UVA. BHSC. SC 10877

titates per partes ſive naturales, ſive arbitrarias, aut alias diſtinctiones interponendo. Sunt numeri ἀναγωγικοὶ, καὶ μυστικώδεις. ſunt & numeri ἀνθρώπινοι. Sunt pondera aut menſuræ ſanctuarii. ſunt & profana. Ne numerus ſiclorum LX, quibus Mina conſtat, aut myſtice, aut imperfecte, aut alio modo accipiatur, ſubvenit errori Ezekiel cap. XLV, 12, dividendo ſexaginta in XV, XX, XXV. quæ partes, ut in ſuperiore elencho oſtendimus, arbitrariæ ſunt, non naturales. Sic in Apocalypſi XIII, 18, ne numerus ἀναγωγικῶς aut Cabbaliſtice accipiatur, ſed ſecũdum uſum hominum, ideo ab Apoſtolo vocatur numerus humanus. ὁ ἔχων τὸν νοῦν ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου. ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστί. καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ χξς. Quaſi diceret Apoſtolus: Noli putare eſſe numerum myſticum, aut Cabbalam. Eſt enim vere numerus uſualis, ut Martianus Iuriſconſultus loquitur: hoc eſt, quo homines rationes ſuas conficiunt. Male enim vulgo vertitur, *Numerus enim hominis eſt.* & τὸ *hominis* ad Antichriſtum referunt. quod quidem rectum eſſet, ſi Apoſtolus ſcripſiſſet τοῦ ἀνθρώπου. Vertendum erat: *Eſt enim numerus humanus.* hoc eſt, ἔστιν ἀναγωγικὸς ἀριθμὸς, ἀλλ' ἀνθρώπινος. Lõge enim differunt ἀριθμὸς ἀνθρώπου, & ἀριθμὸς τοῦ ἀνθρώπου, quantum

UVA. BHSC. SC 10877

tum profecto ἀναίρεσις νεκρῶν, & ἀνάἱρεσις τῶν νεκρῶν. Eodem modo male redditur χαφίδι ἀνθρώπε, *stilo hominis.* imo *humano.* Esaiæ VIII, I. Non enim dixit τῷ ἀνθρώπε. Rursus Deuter. III, II, ἐννέα πήχεων τὸ μῆκος αὐτῆς, καὶ τεσσάρων πήχεων τὸ εὖρος αὐτῆς ἐν πήχει ἀνδρός. *in cubito humano*, non *hominis.* His animadversis, quæ nulli Hierophantæ Beroaldino in mentem venerunt, ne quis hic hariolaretur alias hebdomadas, quam quæ ex annis civilibus componuntur, eas Daniel in partes arbitrarias tribuit, LXII, VII, I, Semissem. quæ fiunt hebdomades LXX. S. anni vero CCCCXCIII. S. quas quum ab edicto illo putare præcipiat, ex quo Ierosolyma instaurata sunt, hoc est ab edicto Darii Nothi, & ejus anno secundo, eæ profecto desinent in anno Christi Dionysiano LXX absoluto, & LXXI ineunte, quo tempore Ierosolyma cum templo solo æquata, Iudæorum multa millia partim occisa, partim venundata, alia in alias regiones deportata. Hæc nos ex ipsis scripturæ fontibus, non ex lutulentis lacunis Beroaldinæ paludis hausimus. Itaque os obstruximus insciticę & furori hominum agrestium, quos nulla bona ratio ad sanam mentem revocare potest. Vertant igitur susque deque, ventilent, vexent, expendant

verba

UVA. BHSC. SC 10877

verba Danielis, decem, centum, mille annos. Nunquam assequentur, ut illa intervalla ad ullum gestum historicũ referre possint. Omnem operam ludent. quod quidem illis hactenus contigit. & merito. Nam major pars, qui illa intervalla otiosa esse non putant, aut nova gesta comminiscuntur, aut vera ad falsas epochas accommodant, quod quidem adipisci nõ possunt, nisi insigni scelere ac dementia truncando tempora, quod Beroaldus primus fecit, & Marrucinis, ut idem atque adeo multo peiora auderent, exemplum dedit. *Scito*, inquit Daniel, *& intellige: ab emissione edicti de integrandis Ierosolymis, usque ad Christum principem, hebdomades septem & septuaginta duæ.* Sane a $\overline{\text{II}}$ anno Darii Nothi CCCCLXXXIII anni putati desinunt in anno Christi $\overline{\text{LXI}}$. novem annis ante excidium templi. Cui bono? Iidem anni ab instauratis a Nehemia Ierosolymis deducti cadũt in $\overline{\text{XCVIII}}$ annum Christi. Postquam dixit $\overline{\text{LXIX}}$ hebdomadas esse ad Christum Principem, subjicit, *post* $\overline{\text{LXII}}$ *hebdomadas excindetur Christus, & omnino non erit.* Ab edicto, ad Christum, esse $\overline{\text{LXIX}}$ hebdomadas, & post $\overline{\text{LXII}}$ hebdomadas Christum excisum iri. Hoc ænigma, hoc ὕστερον πρότερον quantum hominum doctissimorum est, erit,

UVA. BHSC. SC 10877

nunquam explicabunt, nedum Hierophantæ oraculi Beroaldini; Christus excindetur post LXII hebdomadas. Deducantur LXII hebdomades, vel, quod idem est, CCCCXIIII, anni de epocha passionis Dominicæ: relinquent annum quartum Artaxerxis Memoris. Et hoc, cui bono? Quid eo anno actum est, quod quidem in harum hebdomadum intervallis locum habere possit? Rursus annis CCCCLXXXIII de epocha passionis detractis, relinquitur annus XIIII Artaxerxis. τῷ μακρόχειρι. Et hoc πῶς λύσουσιν; Quid dicam, quod nihil suspédit magis lectorum animos, quam eodem tempore excidium Ierosolymorum cum cæde Messiæ continuari? Videmus igitur illas distinctiones hebdomadum a Daniele finitas, non esse gestorum epochas, aut intervalla historica, sed partes tantum arbitrarias septuaginta hebdomadum cum semisse. Neque uspiam magis opera ludetur, quam in revocandis illis ad gestum aliquod, cujus quippiam ad illas hebdomadas spectet. Ex quibus colligi potest, quantū ratio fugerit interpretes Danielis omni exceptione majores, qui aliquid historicum illis partibus comprehendi sibi persuaserunt. Nihil enim potest allenius ab omni fide historiæ excogi-

tari,

UVA. BHSC. SC 10877

tari, quam illa intervalla ad aliquod gestum referre. Neque est in his hebdomadibus, quod magis interpretes ad absurda confugere coëgerit, quanquam fuerunt maximi viri. Quod igitur tanti viri tanta doctrina, tanta rerum divinarum & humanarum peritia præditi efficere non potuerunt, id scilicet præstabunt homines omnis humanitatis literarum imperitissimi, nihil præter Beroaldi sterquilinium ruspari soliti, &, quod caput est, ne Latine quidem intelligentes? Quid duabus illis febriculosis orationibus effectum est, nisi ut stultitia in lucem exiret, quæ tuto in tenebris ignorari potuit? Certe videmus hunc Spiritũ sanctum, quem hi Prophetæ nobis profanis objiciunt, ad deserta solitudinum summa cum ignominia, ut Azazel, depulsum esse, fontes illos limpidissimos, latrinæ Beroaldinæ stercoribus oletatos. Subjicit deinde gravissimus Censor non convenire de regibus Persidos. Ideo bonus logicus concludit, non tot fuisse, quot a Græcis produntur. Si hoc modo mihi argumentari liceat, ergo non tot reges Israëlis fuerunt, quot in Scriptura nominantur, quando-quidem in ipsa scriptura magna dissensio est de illorũ initiis & intervallis annorum, si qui-

UVA. BHSC. SC 10877

dem tempora, quæ ſingulis attribuuntur, cum temporibus regum Iuda comparentur, ad quæ illorum initia referuntur. Sed de his ſatis in ſuperiori elencho diſputatum eſt, & in Canonibus Iſagogicis. Diſſentitur inter hiſtoricos ſuper regibus Perſidos. Ergo pauciora fuerunt, quam natio Græculorum venditavit. Rotundum ſane συμπέρασμα, & propter quod Cyri ævum ad XXIX annum Herodoti referretur. Nulla profecto tanta eſt in veterum Græcorũ ſcriptis ſuper regibus Aſſyriæ, aut Perſidos ambiguitas, (ego ſane nullam in regibus Perſidos legi) quanta eſt ſacræ hiſtoriæ in regibus Samariæ, & in annis Iudicum, de quibus melius ſilendum eſſe ſapientiores judicaverint, quam Beroaldina audacia aliquid temere pronunciare. Et illius officinæ Prophetica ψευδεπίγραφα in dubium revocabunt, quæ tot veterum ſcriptorum monimentis conſignata ſunt, &, (cui argumento reſiſti non poteſt,) tot cœleſtibus characteribus munita? quæ qui rejicit, aſinum, non hominem eſſe oportet. Etiam ſi characteres deliquiorum Lunarium non accederent, tamen tantus conſenſus veterum, Herodoti, qui temporibus Xerxis jam adultior erat, Cteſiæ, Africani, & aliorum præſtantiſsimorum

UVA. BHSC. SC 10877

auctorum aut pudorem a ferreis frontibus exprimere debuit, aut saltem ad ingenuam confessionem cogere. Quid meruerunt reges Persidis, ut de illorum numero & annis magis dubitaretur, quam de regibus Franciæ, aut imperatoribus Romanorum, vel Germanorum? Quis unquam huic insaniæ similem reperire possit? Si post centum plus minus annos quidam literarum humaniorum, quas Aretalogi extinguere conantur, igniculi supererunt, poterit quisquam satis mirari tantam infelicitatem hujus sæculi fuisse, ut non solum tantæ absurditatis auctores tulerit, sed etiam ne unũ tandem habuerit, qui huic tam flagitioso furori sese opponeret? Quæ major esse potest insscitia, quam putare Cyri tantam vetustatem esse, ut propter illam de regibus Persidis orta sit rixa inter scriptores Græcos? Atqui Cyrus regnum in Persida inivit Olympiade LV, a qua, ad Herodoti natalem, sunt tantum anni LXXVI. Hęccine tanta vetustas est? A Cyro, ad Alexandrum usque, non solum omnes Græci, qui in Asiam numerosissimas colonias deduxerant, sed & major pars insularum Ægęi maris, Persis parebãt. Herodotus erat Halicarnassensis, quæ peninsula cum tota Caria a Satrape Persa re-

UVA. BHSC. SC 10877

gebatur. Tunc reges Persidis imperare cœperunt, quum quædam vetustas rerũ Græcarum esset, & multis annis antea præstãtissimi Græcorum scriptores, qui Persis parebant, in Asia florerent. Omnes vetustissimi scriptores tam Herodotus, quam Ctesias, & Africanus, Cicero, alii, triginta annos Cyro attribuunt, octo Cambysæ ejus filio, cujus octavo anno defectio Lunæ contigit, Iulii XVI, ut notant Chaldæi apud Hipparchum, qui nullum unquam Græculum legerant, quorum linguam ignorabant. Hoc profecto contigit anno Iphitheo, sive Olympiadico 254. de quo si deducantur Olympiades LIIII, hoc est anni CCXVI, post quod tempus imperium inivit Cyrus, remanebunt anni XXXVIII, ab initio Cyri, ad expletum Octavum Cambysæ, quis adversus hæc hiscere audebit, nisi omnis vetustatis imperitus? imo quis, nisi impius, qui sidera, quæ Deus in signa temporum dedit, falsa & mendacia ausit dicere? Nam iste Hierophanta non veritus est dicere falsos esse characteres illos. Ille vocat characterismos. Adeo imperitus est, ut nesciat, quid interfit inter characterem, & characterismum. Rursus duæ defectiones ejusdem sideris a Chaldæis in literas relatæ sunt:

quarum

UVA. BHSC. SC 10877

quarum prior anno vigesimo Darii Hystaspidæ contigit, anno Iphiteo CCLXXV, Novembris XIX. Altera defectio anno ejusdem Darii XXXI, Aprilis XXV, anno Iphiteo currente CCLXXXV. Chaldæi, qui in laterculis suis, ut Plinius testis est, defectiones utriusque sideris notabant, vivebant sub iisdem regibus, sub quibus illæ defectiones contigerant, & propterea annum regis, sub quo defectionem sideris observaverant, annotabant. Sed Hierophantæ isti placuit Cyrum anno vigesimo nono ætatis Herodoti captivitatem Iudæorum laxasse, LXXIII annis post obitum suum. Plus possunt Hierophantæ Beroaldini, quam Antichristus apud Danielem. Is mutat tempora duntaxat, isti mutilant ea. quod profecto nescio qui fieri possit, ut ex Olympiade quinquagesima quinta nascatur Olympias LXXXI. Rideam magis, an stomacher, nescio. Sed certe stomacho res dignior, quam risu, quum juventutem necesse sit ex hujus veneni letifero haustu dirissimam pestem oppetere. Quod certe fiet, nisi tam barbaræ licentiæ frenum imponatur. Magna dissensio, inquit Aristarchus Beroaldinus, super regibus Persidis? Ecquæ dissensio? apud quos auctores? Nullus veterũ aliunde initium insti-

UVA. BHSC. SC 10877

instituit regum Persidis, quam ab Olympiade LV. Nullus pauciores, aut plures retulit? Quid vis tibi Theologochronologe? Quis tuam vesaniam ferat? Africanus: Μετὰ ϗ ο τῆς ἀιχμαλωσίας ἔτη Κύρου Περσῶν ἐβασίλευσεν, ᾧ ἔτει Ολυμπιὰς ἦχθη νικῶν ἐκ τῶν βιβλιοθηκῶν Διοδώρου, καὶ τῶν Θαλλοῦ, καὶ Κάστορος ἱστορικῶν, ἔτι ϗ Πολυβίου, καὶ Φλέγοντος ἐσὶν ἀῦρᾶν, ἀλλὰ καὶ ἑτέρων, οἷς ἐμέλησεν Ολυμπιάδων. ἅπασι γὰρ συνεφώνησεν ὁ χρόνος. Omnes uno consensu initium Cyri ait conjecisse in annum primum Olympiadis LV, at quos viros? Diodorum Siculum, Thallum, Castora, Polybium, Phlegontem, alios, nulla aura pestilenti veneni Beroaldini afflatos. Tanto consensu historiæ rejecto ad nænias abortivorum ingeniorum cõfugiemus, ut nos tempora, quæ tot veterum scriptorum auctoritate nituntur, &, quod caput est, quæ siderum defectionibus obsignata sunt, stercore Beroaldino obliniri patiamur? O infelix sæculum, quæ ista portenta peperit. O ignavos nos, si ita illudi literis patiemur. Sed quid faciemus? Iterum signa movet. instat pervicacia. Dissentiunt auctores super regibus Persidos. Ergo nõ tot sunt, quot produntur a Græculis. Eusebius, inquit, Cyro XXIX tantum annos assignat, alii XXX. Quæro ab hoc Propheta, ubi hoc Eusebius dixit?

UVA. BHSC. SC 10877

dixit? Ille solidos $\overline{\text{XXX}}$ annos Cyro attribuit in Canone Chronico. Quæ hæc est impudentia, ut etiam audeat jurare ab Eusebio proditum, cujus nunquam Eusebio in mentem venit? Deinde a Iosepho $\overline{\text{VI}}$ tantum annos Cambysæ tribui dicit; quum alii scriptores $\overline{\text{VIII}}$ annos in imperio expleſſe dicat. Est hallucinatio Iosephi, qui apud Herodotũ, Diodorum, Castora, & alios, legerat, Cambysen anno sexto imperii sui Ægyptum obtinuisse. Ideo sex tantũ annos regnasse existimavit. cujus hallucinationis fidem verba ejus faciunt. Καμβύσης γὰρ ἐξ ἔτη βασιλεύσας, καταστρεψάμενος ἐν τούτοις Αἴγυπτον, ἀποστρέψας ἐτελεύτησεν ἐν Δαμασκῷ. *Postquam regnasset* $\overline{\text{VI}}$ *annos, in quibus etiam Ægyptum subegit, obiit Damasci.* quum debuisset dicere: Postquam regnasset octo annos, atque horum sexto Ægyptum subegisset, obiit. Ex hoc Iosephi aliud agentis memoriæ lapsu, item ex lectione Clemẽtis Alexandrini, apud quem $\overline{\text{XXIX}}$ anni Cambysæ attribuuntur, conatur dissensionem super annis regum Persidos eruere, & proinde nihil certi neq; de numero regum, neq; de illorũ annis statui posse. Quæ omnino Beroaldina sunt: id est ridicula. Nam in Iosepho est hallucinatio: in Clemente error librarius: Καμβύσης δέκα ἐννέα. Legendũ enim

UVA. BHSC. SC 10877

vel puer dixerit, καμβύσης ἢ ἐννέα. Nam ſane Cambyſes nono anno imperii ſui obiit. Pergit Clemens Dario Hyſtaſpidæ dat quadraginta ſex annos. Et hic quoq; nemo nõ videt τεσσάρακοντα ἓξ, pro τριάκοντα ἓξ obrepſiſſe: quod ita crebrũ eſt in veterum Græcorum libris, ut hæc probare ejus ſit, qui otio ſuo abuti, & induſtriæ lectorũ diffidere velit. Sed iſte Beroaldini ſacri Pontifex Clementem Latine tantum legit. Idem arbitrandũ de annis Darii Nothi apud eundem Clementem, perperam ὀκτὼ, ἀντὶ τῶ δεκαοκτὼ editum eſſe. Tamen XIX, non XVIII regnavit. Sed quia novem attribuit Cambyſæ, comprehendens una tempus magorum, ideo XVIII tantùm pro XIX Dario Notho aſsignat, ut compenſatio fieret. Alius lõge jocularior error in annis Xerxis ἓξ καὶ ἑκατόν. quum unius literulę mutatione legendum ſit ἓν καὶ ἑκατόν. Rurſus ad mendacia confugit, qui ab Euſebio XIX annos Xerxen regnaſſe impudẽtiſsime aſſeverat. Eadem cõfidentia eſt, qua jurabat ab Euſebio XXIX annos tantum Cyro attribui. Nam Xerxi XX ſolidos, non autem XIX Euſebius dedit: ut hinc de fide hujus Hierophantæ quid ſentiendũ ſit, haud obſcure animadverti poſsit. Totus vero locus ille de regibus Perſidis apud Clementem negligẽtia librario-

UVA. BHSC. SC 10877

brariorum contaminatus est. Multa depravata sunt: multa desunt. Vulgo editur: ὤχῳ, ἢ Αρσης, τρία. Diceres a quodam Beroaldino hoc scriptũ, quasi idem sit Ochus cum Arse. Legendũ enim ὤχῳ καὶ Αρσης τρία. Δαρεῖῳ Αρσάμου ἐξ. Quod quis negaverit verũ esse, nisi qui in Parnasso Beroaldino somniaverit? Colliguntur ab initio Cyri, & LV Olympiade, ad cladem Darii, & pugnam ad Gaugamela, anni CCXXIX: quibus si accedant sex ad mortem Alexandri, colligetur totũ tempus imperii Persici, anni CCXXXV. Et sane Clementi nõ aliter visum: σωάγε) ἀπὸ τὸ αὐτὸ τ̃ Περσικῶν ἔτη Ἀλεξάνδρια τριάκοντα πέντε. Nam finis Darii Arsamidæ notatus est defectione Lunari XX Septembris, anno secundo Olympiadis centesimæ duodecimę, qui est annus Iphiteus CCCCXLVI. Annus autem primus Cyri CCXVII Iphiti. Intervallũ, anni, ut diximus, CCXXIX. Hinc VI ad obitũ Alexandri. Súma CCXXXV, ut antea. Rursus a defectione Lunari anni octavi Cambysæ, ad eã, quæ tempore pugnę ad Gaugamela accidit, sunt anni pręcise CXCII. Ab initio autẽ Cyri, ad illam defectionẽ, sive annũ octavũ Cambysę, anni absoluti XXXVII, qui cũ CXCII annis cõponunt annos CCXXIX, ut antea, ad pugnã ad Gaugamela, ab initio Cyri. Hoc modo Spiritus sanctus rationi temporum

UVA. BHSC. SC 10877

caviſſe recte diceretur, ſi per ea, quæ neq; mentiri, neq; fallere poſſunt, hoc eſt, per deliquia ſiderum. Chronologiæ cõfuluit, non autẽ ſi per fanaticos, & imperitiſsimos homines fidem temporũ labefactari ſineret, & octaginta pene annos de ſerie Olympiadũ deleri, ut Cyri tempus in vigeſimũ nonum annum Herodoti cõveniret. Atq; hęc, eſt vera & indubitata, atq; iis, quæ labefactari nõ poſſunt, munimentis inſiſtens temporum ratio, quam dedimus de regibus Perſidos. Idẽ poſſumus de ſucceſsione tam Seleucidarum, quam Ptolemæorum dicere, & ſtultitię, ruſticitati, atq; pertinacię os occludere, ſi tantum nobis temporis ab occupationibus noſtris ſupereſſet, quantũ huic Prophetę ſuperfuit ad veritatis clauſtra oppugnanda, de cujus febriculoſis diſputationibus atque argumentis quid arbitrandũ ſit, ex cõfutationibus noſtris colligi poteſt. Nam ne ſemel quidẽ verũ dixit, & magnam inſcitiam bonarũ literarũ ac veteris hiſtorię, majus etiam odiũ earũ rerum ubiq; prodit. Sed & qualibus cõſequẽtiis utitur, ut quũ ex diſſenſione ſcriptorum (ſi modo ulla eſt) ſuper regibus Perſidis, concludit pauciores reges fuiſſe Perſidis, quam ſcriptores perhibent. Bonum συμπέρασμα. Audite. Diſſentitur ſuper annis

regum

UVA. BHSC. SC 10877

regum Persidos. Ergo pauci reges Persidos fuerunt. Iam rem factam habet. Quid postea? Ergo nō tantum est intervallum a Cyro, ad Alexandrum. Lepidum caput. quasi illud intervallum, quod est a $\overline{\text{LV}}$ Olympiade ineunte, ad pugnam ad Gaugamela, non potuerit imperio paucorum regum explicari. Ponamus sex tantum reges Persidis fuisse, ut ipse confidentissime ausus est fingere. XXXVIII singulis tribuamus. fient anni CCXXVIII. quod certe est intervallū a Cyri initio, ad pugnam Gaugamelensem, uno anno minus. Itaq; misellus Chronologus, tanquam mus intra parietem versatur, neq; uspiam effugium habet, quin statim ab aliqua vigilaci fele correptus pœnas temeritatis suæ det. Sed hęc omnia ideo ficta, ut intervallū a Cyro ad Alexandrum breviore gyro corriperetur, ne scilicet filius Iosedek Iesua tam vivax esse videretur, quam multi ante nos, & hodie fuerunt. Quid diceret, si sciret ante hos sex septem annos Regulū paganum ad Iavam majorem pugnantem periisse annos natū $\overline{\text{CL}}$? quem si belli furor nō abstulisset, is videbatur potuisse adhuc ad $\overline{\text{CLX}}$ annos ætatem extendere potuisse, quod alius rex & ipse quoque paganus paulo ante fecerat, qui major $\overline{\text{CLX}}$ annorū obiit.

UVA. BHSC. SC 10877

Quæro: utrũ majorem fidem meret, hominem posse CXXX annos vivere, aut undecimo ætatis suæ anno generare? Nos possumus producere, quos CXX, CXXV, CXXX annos vitæ expleſſe ſcimus, vidimus, meminimus. Vnus etiam ſenex amicis noſtris miraculo fuit Lutetię anno Chriſti MDLXXXIIII, qui miles pugnę Montis Leherii interfuerat ſub Ludovico XI. Is major annorum * CXL omnibus membrorũ officiis integris Lutetiam ſeſe cõtulerat liticulæ cujuſdam perſequendæ cauſſa. Hoc rarum quidem eſt, ſed non mirum, ut viſum eſt Hierophantę Beroaldino, tam lõgævos homines eſſe, tametſi in Germania pauci ad LXXX annos perveniunt. Sed hominem anno ętatis undecimo liberos gignere, hoc ſuſpectũ Beroaldinis eſſe deberet, niſi non ſolum in ſacris literis extare, ſed etiam memoria mea hoc contigiſſe illis objiciam. Achaz regnum inivit annos natus viginti. Obiit, poſtquam ſexdecim regnaſſet. Ergo XXXVI anno obiit. Filius ejus Ezekias XXV annorum poſt patrem in regnũ ſucceſsit. Deductis XXV annis ætatis Ezekiæ de XXXVI patris ejus Achaz, relinquitur annus undecimus abſolutus, & duodecimus iniens regis Achaz, quo Ezekias natus ſit. Ergo undecimo anno ætatis patris ſui conceptus

* *G. Buchan. hiſt. Scot. lib. I. in fine, narrat etiam Laurẽtium quendam CXL anno piſcatum prodiiſſe.*

UVA. BHSC. SC 10877

ptus fuit. Simile exemplum, quantũ quidem memini, non extat in Scriptura: quod quidem magis mirũ videretur, quam hominem ultra cxxx annos vivere, nisi id memoria mea contigisset in civitate Lactoratensi Novem populaniæ, ubi puer minor annorũ duodecim genuit ex puella cõsobrina sua, quæ nondũ decimum expleverat. Rem notam narro, & cujus adhuc memoria recẽs est in Aquitanis. Pater ipse hoc de se patri meo testatus est, quod alioqui tunc ne pueri quidem ignorabant. Qui igitur miratur hominem cxxx, aut amplius, annos vivere potuisse, quum alioquin ex Nehemiæ & Esdræ libro illud necessario colligatur, neque tamen prophetis Beroaldinis persuadere adhuc potui, quibus hæc una præcipua causa fuit interpolandæ Chronologiæ, & Cyri tempus ad vigesimũ nonum annũ ætatis Herodoti deducere, quid, inquam, dicẽt de ætate Achaz regis, quum Ezechiam gigneret, quum longe inusitatius & incredibilius sit puerũ annos natum undecim generare, quam hominẽ ad cxxx annos vitam producere? Hæc mira videntur hominibus, qui nihil nisi πολεμικὰ & χιαμαχίας tractant, neq; unquam ullũ bonum scriptorem legerunt. quem certe, si in manus sumerent, nõ intelligerẽt. Sed nimis

UVA. BHSC. SC 10877

nimis diu te moratus ſum, mi Gomare, qui his velitationibus animū tuum a melioribus curis avocaverim. Certe quicquid operæ hic poſui, ejus pœniteret me, niſi antequam ad hæc diſcutienda accederem, prius me ad obſequendum tibi quam animo meo, me cōparaſſem. Nam ſi rationē mei potius, quam amicitiæ noſtræ habuiſſem, nunquam mihi imperaſſem tam ſultum ſcriptū legere. Quia vero, quid de illo ſentirem, ut tibi judiciū meum exponerem à me petiviſti, & præterea, quia ſimplici juvētuti cavere volui, ne ejuſmodi venena imbibāt, ſatis graves cauſſas hoc onus ſubeundi habuiſſe videor, auctoritatē tuā, quæ plurimi apud me eſt, & utilitatē ſtudioſorū, quibus ſcopulos indicare, a quibus caveant, nō ſolum noſtra, ſed omnium, qui veritatis amātes ſunt, intereſt. Sed & imprimis movit me amici noſtri ornatiſsimi & eruditiſsimi juvenis Iohannis de Laet deſiderium: qui quæ in illas ſtramētitias oṛationes animadvertere potui, id videre, & legere, magni beneficii loco ponit. Ne igitur ejus voluntatem & juſtum deſiderium morarer, hæc quātulacunq; carptim collegi, & ea gratia tibi miſi, ut tibi illa cum eo cōmunia eſſe arbitrere. Vale.

FINIS.

UVA. BHSC. SC 10877

DAVIDIS PAREI

ORATIO

CHRONO-LOGICA ALTERA

DE QVÆSTIONE:

Vtrum Chronologia integra ab Adamo ad Christum ex sola historia sacra haberi possit?

Synopsin totius Chronologiæ sacræ exactissimam complectens.

IN ACADEMIA PALATINA
habita & evulgata pro S. Theologiæ &
Chronologiæ studiosis.

AD

PETRVM CLIGNETVM
S. Theologiæ Doctorem: Ecclesiæ Otterburgicæ Pastorem.

LVGDVNI-BATAVORVM
Ex Officina Henrici Ludovici ab Haestens,

Impensis Ludovici Elzevirij, Anno 1607.

UVA. BHSC. SC 10877

ORATIO

CHRONOLOGICA

DE

ÆTATE

MUNDI.

UVA. BHSC. SC 10877

REVERENDO ET CLA-
RISSIMO VIRO

D. PETRO CLI-GNETO S. THEOLO-GIÆ DOCTORI: ECCLESIÆ OTTERBVRGICAE PASTORI:

DAVID PAREVS

cum benedictione plurima
Salutem.

VAm nuper meditandi, eandem nunc tibi, eximie Doctor Clignete, consecrandi oratiunculam hanc causam habui: ut sacræ Chronologiæ studium, quod cum Theologico tuo tibi conjungẽdum duxisti, rederem commendatius. Etenim cum Ecclesia tua te opinione citius ab Academia revocaret: institutum illud nostrum de Collegio Chronologico, quod ministi, interceptum nobis quasi perierat. Ne tamen periisse vel tibi vel reliquis Φιλοχρονολόγοις *videretur: universum illud argumentum, quod uberiori studio pertractaturi eramus, unius oratiunculæ angustiis concludendũ,*

UVA. BHSC. SC 10877

tuæque inaugurationi publicè tribuendum putavi, qua ὡς ἐν τύπῳ rem totam tuo auditorumque animis atque memoriæ subjicerem. Eandem typis descriptam tibi nunc dico ξενιόν, mitto strenam vel eo, uti spero, haud futuram ingratam, quòd eam, non tàm animi in te mei privatum testem, quàm etiam solennissimæ illius inaugurationis tuæ habiturus es publicum documentum: neque pauca insuper lecturus, quæ per temporis angustiam nec mihi ex Cathedra dicere, nec tibi Candidato audire tum licuit. DIESVM in dextera Patris regnantem ἐκέτλω καὶ μεσίτλω nostrum ardentibus votis invoco, ut hæc qualiacunque halcyonia Ecclesiæ in Palatinatu & Germania reliquisque orbis partibus clementer conservet, cruentas Antichristi Romani machinationes potenter elidere ac pudefacere pergat, pestiferæ luis passim gliscentis contagia averruncet: tuo etiam ministerio ubertim benedicat: denique tibi & ommibus nobis venientis anni decursum prosperum ac salutarem faxit. Vale. Ex meo Musæo, VI. Kalend. Januarias Anni, ChrIstVs reDeMtor noster.

Oratio

UVA. BHSC. SC 10877

Oratio inauguralis Chronologica

IN PROMOTIONE DOCTORALI D. PETRI CLIGNETI AQVISGRANENSIS VII. NOVEMB. clɔ. lɔ. ɔC V.

De hypothesibus Chronologiæ sacræ integræ ab Adamo ad CHRISTVM.

PROVINCIAM à Spectabili Decano mihi impositã, Spectatissimi Auditores, nulla videtur causa, cur nõ subeam lubens. Ad benè enim merendum de ~~viris bonis~~ segnem convenit esse neminem: Et virtutem præmiis ornare pulcrum, imò justum est. Tua etiam pietas & eruditio singularis, Ornatissime Licentiate, nescio quomodo me jampridem delectavit, tibique obnoxium fecit, ut diem hunc tandem illuxisse tibi gaudeam, Ecclesiæ gratuler, quo caput tuum laurea promerita condecorare debeo.

Ne verò hæc augustissima πανήγυεις theatrica tantùm videatur pascendis spectatorum oculis instituta: sed & ego amplissimæ hujus coronæ

UVA. BHSC. SC 10877

memet accõmodem attentis auribus, quas inaugurale aliquod proœmium à me expectare video: quanquam nec ego dicendi facultate polleam, nec tempus, quod perbreve mihi concessum est, multa me dicere patiatur: consuetudini tamen antiquitus receptæ, vestrisque votis morem gerendum esse duco. Præmittam igitur quędam de argumento non tam fortè omnibus jucundo, quàm studiosis S. Theologiæ & Chronologiæ utilissimo, cujus mihi occasionem orationis Chronologicæ de LXX. hebdomadibus Danielis ante quinquennium ex hoc ipso loco habitæ recordatio præbuit.

Quæstio de Chronologia sacra.

QVAESTIO vetus & magna est inter Theologos & Chronologos, utrum Chronologia integra ab orbe condito usq; ad CHRISTVM Dominum nostrum ex historia sacra haberi possit. Et Chronologi quidem authoritatibus & ratiunculis quibusdam subnixi Theologos propè omnes in eam pertraxerunt sententiam, Chronologiam sacram in fine captivitatis Babylonicæ seu anno primo Cyri Persarum Monarchæ deficere: reliquum spaciũ à Cyro ad CHRISTVM non nisi ex Græcis rerum Persicarum & Græcarum scriptoribus Ctesia, Metasthene, Herodoto, Xenophonte, Diodoro, Dionysio, &c. certò pertexi

UVA. BHSC. SC 10877

texi posse. Quantumvis enim ad intervallum LXX. hebdomadibus Danielis, h. e. 490. annis videatur definitum: patiuntur tamen sibi persuadere Theologi, res Persicas à Cyro ad Alexandrum, & post Alexandrum historias Seleucidarum ac Lagidarum usque ad imperium Augusti, spacium haud paulo amplius, annorum puta 500 & 60, vel 50, vel 40, vel 35 (non enim in hoc conveniunt) postulare. Hebdomadas igitur Danielis (ne nihil his dare videantur) cum fine captivitatis & initio Cyri cõnectunt non immediatè, sed interjecto aliquot annorum hiatu, alij majore, alij minore, prout cujusque fert abacus. Qui minimum faciunt hiatum, annos 9. qui maximum, annos 141. interponunt.

Atqui profectò flagitium videtur, Theologos Christianos authoritatibus profanis tam lubricis, tamque inter se variè discrepantibus potiùs, quàm divino oraculo manifesto & certo hîc stare velle, adeoque atroci Spiritum sanctum notare contumelia, quasi Chronologiam sacram, quę lux est doctrinæ & historiæ Propheticæ, à mundi exordio ad CHRISTVM mancam & imperfectam in Sacris literis reliquerit. Mihi vero, Auditores, in præsentia propositũ non est, tantam cõtroversiam ad vivum resecare, neq; enim idpau-

UVA. BHSC. SC 10877

cis expediri posset. Tantùm conabor S. Theologiæ & Chronologiæ studiosis πεχυλῶς & rudi, quod dicitur, Minerva monstrare, quibus hypothesibus, qualibusque articulis Chronologiam sacram continuam & integram à mundi Origi-

Propositio. ne ad CHRISTVM usque excisum, h. e. crucifixum & mortuum, ex sola historia sacra certissimis characteribus contexere queant ac debeant: quod dum facio, vos quæso aures mihi benevolas accommodate. Et prodesse volunt & delectare poëtæ, inquit ille: Idem perorantes volunt, Vtrunque simul præstare in quovis argumento haud facilè est. Ego prius potissimum nunc spectabo: quod si non etiam vos delectaverit, dabitis mihi veniam. Ornari non vult, res est contenta doceri. Attamen & veri intelligentia eruditis mentibus jucunda est delectatio.

I. Intervallum ab Adamo ad diluvium. PRIMA igitur hypothesis hæc esto: *Ab orbe condito usque ad diluvium incipiens (quod fuit anno 600. Nohæ) certa serie habentur anni 1656.* Numerus hic definitus quidem non est. Ex decem vero generationibus Patrum ab Adam ad 600 annum Nohæ evidenter colligitur. Neq; in hoc obscurum quicquam aut controversum est iis, qui Hebræam veritatem sequuntur. Qui verò Græcam versionem LXX. interpretum sectantur, ut Eusebius

Gen. 8. & 7

UVA. BHSC. SC 10877

sebius, & Græci ac Latini patres ferè omnes, annis 684. veritatẽ excedunt. Qui error quomodo & unde irrepserit, non est hujus loci explicare. Duo tantùm hîc notari velim. *Vnum*: Ex historia diluvii de mensium & annorum ratione hujus intervalli certò constare, patres nimirum ante diluvium mensibus & annis Chaldaicis sive Ægyptiis solaribus æqualibus usos esse: mensibus quidẽ tricenorum dierum, annis vero duodenorum mensium, 360 dierum, cum epagomenis quinque dierum mensi extremo additis: & centesimo vicesimo quoque anno mense integro embolimo adjecto, capite cujusque anni in libra constituto. Quam anni formam esse antiquissimam simplicissimã & popularibus temporibus accommodatissimam Scaliger Chronologorum hodie Princeps testatur. Neque diversos annos Hebræi deinceps usque ad æram Alexandri habuerunt, qui primus Iudæis Atticum annum lunarẽ imposuit. Tales etiam annos Ptolomæus â Nabonassaro ad Alexandrũ, ab Alexandro ad regnum Augusti numerat. Tales igitur anni æquales per totam Chronologiam sacram usque ad æram Iulianam, quæ Christi natales XLV. annis completis antecessit, commodissimè intelliguntur. *Alterum*: Totum hoc

Annorũ & mensiũ ratio in S. Chronologia.

Scal. lib. 3. de emend.

Ptol. Almag. lib. 3. cap. 5.

UVA. BHSC. SC 10877

intervallum ipſumque mundi & Chronologiæ exordium à profanis hiſtoricis ignorari: ſolas Scripturas ſacras id nobis certò prodere: quo nomine hiſtoria Eccleſiæ reliquas omnes quaſi ingenti privilegio antecellit. *Si origo mundi*, inquit Cenſorinus, *in hominum notitiam veniſſet, inde exordium ſumeremus.* Neſciebam igitur exordium tantus author. Ex Varrone tamen tria profert temporum diſcrimina: quorum primum ab hominum principio (ſive aliquod fuerit inquit, ſive nullum: ignorabat enim) uſque ad cataclyſmum priorem Ogygium, propter ignorantiam dicit eſſe ἄδηλον incertum. Alterum à diluvio uſque ad initium Olympiadum vocat *μυθικὸν fabuloſum*, quia ut prius meras tenebras, ita hoc meras fabulas gentilium continet, quas Diodorus Siculus libris ſex de fabuloſis antiquorum geſtis deſcripſit. Tertium à principio Olympiadum deinceps vocat *ἱστορικὸν hiſtoricum*, quod tunc demum Græci veras putarint ſuas hiſtorias. Sed & hoc intervallum ex ignorato Olympiadum initio, uſque ad tempora Alexandri eſſe perturbatiſsimum, tam variæ de iiſdem rebus authorum diſſenſiones oſtendunt: quod in præſens omitto, & ad inſtitutum redeo.

Cenſorin. de ann. natali cap. 21. Tria temporum intervalla ex Varrone & Cenſorino.

SECVNDA

UVA. BHSC. SC 10877

SECVNDA hypothesis est: *A diluvio usque ad oraculum de servitute seminis Abrahami, & fœdus confirmatum, præcisè habentur anni 437.* Hoc etiam intervallum definitum quidem non legitur. Per decem verò generationes Patrum posteriorum ab Arphaxad ad Abrahamum Gen. 11. recitas certò colligitur. A natali enim Arphaxad, qui fuit anno proximo post diluvium finitum, h. e. anno mundi 1658. usque ad natum Gen. 11. 10 Tharepatrem Abrahami, reperiuntur anni 212. Inde ad natum Abrahamum anni 130. quibus accedunt anni 75 Abrahami, quos habuit in egressu ex Haran, ac tandem decennium, post quod Deus oraculum ei dedit, fœdusque confirmavit: ut refert Moses Gen. 15. 18 & 16. 3: Qui anni in summam collecti sunt 437. Solus articulus antepenultimus de natali anno Abrahami quæstionem gravem habet, quæ & Augustinum passim exercuit, natusne fuerit Abraham patris Thare anno 70, ut Genes. 11. 28. dici videtur: an verò anno Thare 130, quod collatio historię sacræ postulare judicatur. Ego longiore disceptatione in præsens omissa posteriorem sententiam teneo: non obstante eo, quod dicitur Gen. 11. 26. *Vixit Thare annos 70, & genuit Abraham, Nachor & Haran.*

II. *Intervallũ à diluvio ad oraculum servitutis.*

Quæstio de anno natali Abrahami.

UVA. BHSC. SC 10877

His enim verbis nõ quem ex his tribus anno 70 genuerit, ſed quod tunc gignere hos tres cœperit, indicat Moſes: alioqui non ſolus Abraham, ſed tres fratres ſimul eo anno geniti fuiſſe dicendi fuerint. Nominatur verò Abraham primo loco, non genituræ ſed dignitatis ratione, quia ejus familiam deinceps pertexuit Moſes. Sic Noah annos dicitur habuiſſe 500, & genuiſſe Sem, Ham, Iapheth: nec tamen Sem, ſed Iapheth primogenitum fuiſſe conſtat: primò verò locatur non ætatis, ſed dignitatis jure, quia ſtirps fuit Patrum & Meſsiæ. Abrahamum verò non primo ſed poſtremo genitum Thare fuiſſe, anno patris 130 editum, evidenti demonſtratione ex ſcriptura habetur. Si enim Abraham in egreſſu ex Haran, patre jam mortuo, fuit annorum 75: utique pater eum 75 annis ante mortem, & ſic anno ætatis 130 genuerat. Obiit enim Thare annos natus 205 ut eſt Gen. 11.32: unde deductis annis 75 reſtãt 130. Atqui verum eſt prius. Egreſſus enim dicitur Abraham ex Haran annos natus 75: mortuo jam patre in Haran: quod apertè teſtatur Stephanus protomartyr Actor. 7.4. *Abraham exiit è terra Chaldæorum & habitavit in Haran, & illinc, poſtquam mortuus fuit pater, tranſtulit eum Deus in terram hanc*, &c. Verum ergo etiam prius, quod

Gen. 12.4.

anno

UVA. BHSC. SC 10877

anno 130 Thare ſit natus Abraham. Finis hujus intervalli cohæret cum anno mundi 2093.

III. *Intervallũ ab oraculo ſervitutis ad Exodum.*

TERTIA hypotheſis: *Ab oraculo de ſervitute ſeminis, ſeu à pactione confirmata cùm Abrahamo uſque ad exitum Iſraëliticum ex Ægypto, & ad legem promulgatam in Sinai, habentur anni completi 430.* Definitur hoc intervallum quater in ſcripturis: Gen. 15. 13. Exod. 12. v. 40. 41. & Gal. 3. 17. Principium verò controverſiam habet. Chronologi uno prope conſenſu id numerant ab egreſſu Abrahami ex Haran, cum eſſet annorum 75. Hoc verò cum loco Apoſtoli Gal. 3. 17. ſtare non poteſt: ubi expreſsè dicitur τῷ Ἀβραὰμ τεπεκυρωμένῳ pactionem cum Abrahamo ſancitam eſſe ante legem latam annis 430. Atqui incipiendo ab egreſſu ex Haran lex non 430, ſed 440 annis poſt fœdus confirmatum lata fuiſſet: quia egreſſus ex Haran fœderis confirmationem decennio anteceſsit. Teſtante enim Moſe fœdus cum Abrahamo pepigit, & fœderali ritu confirmavit Deus, non in egreſsu ex Haran anno ætatis 75. ſed decennio poſt anno ætatis ejus 85. Sic enim ibi expreſsè Moſes: *Illo die pepigit Iehova fœdus cum Abrahamo* „ *dicendo: Semini tuo dabo terram hanc*, &c. Neque ante „ id tempus ulla fœderis initi aut confirmati cum „ Abrahamo legitur facta mentio. Quando verò

UVA. BHSC. SC 10877

id fuit? Moſes id expreſsè prodit ibidē Gen. 16. 3
» *In fine decem annorum, ex quo habitare cœperat Abra-*
» *ham in terra Canaan.* Hoc decennium omnes chronologi (quaſi verò dicis cauſa ſcriptum eſſet ſecurè prætereunt, manifeſto errore. A pactione igitur confirmata inchoandum eſt hoc intervallum. Quo poſito de reliquis articulis laborare non multum attinet: neque controverſiæ ſunt alicujus momemti. A pactione enim firmata ad natum Iſaac habentur anni 15: pactionem ſiquidem accepit Abraham anno ætatis 85: cētenarius verò genuit Iſaacum: Iſaac ſexagenarius genuit Iacobum. Iacob anno ætatis 130 deſcendit in Ægyptum: vixit in Ægypto annos 17. Ioſeph patri ſupervixit annos 53: poſt obitum Ioſephi annis 75 natus eſt Moſes: qui ætatis anno 80, eduxit populum. Hi anni collecti ſunt 430. Finis hujus intervalli cohæret cum anno mundi 2523, qui fuit octogeſimus Moſis, atque Exodum Iſraëlitarum proximè anteceſsit.

IV. *Intervallū ab Exitu ad templū Salomonis.*

QVARTA hypotheſis: *Ab exitu ad jacta templi Salomonici fundamenta habentur anni* 480. Definitur hoc intervallum expreſsè 1. Reg. 6. ubi ſic ſcribitur: *Anno* 480 *egreſsionis filiorum Iſraël è*
» *terra Ægypti anno* 4. *menſe Zif regni Salomonici ſu-*
» *per Iſraëlem ædificare cœpit domum Domino.* Quid hic

UVA. BHSC. SC 10877

hîc quærimus amplius? Annis 40 Iſraëlitas peregrinatos eſſe in diſerto conſtat. Diſputatur de annis Ioſuæ, & Iudicum, & Heli, & Samuelis ac Saulis. Nec adeo obſcura res eſt, quin certò queant hæc ſingula haberi, ut in Chronologia ſacra oſtenditur. Quid verò attinet laborare de articulis, quando curriculum totum definitum á Spiritu Sancto habemus? Cohæret igitur finis ejus cum anno mundi 3003.

V. *A templo Salomonis ad captivitatem Iechoniæ.*

QVINTA hypotheſis: *A fundato templo Salomonico ad deportationem Iechoniæ in Babylonem currunt anni Regum 401.* Nuſquam hi quidem ita collecti leguntur: & ſi anni ſingulorum Regum Iuda à fundato templo ad captum Iechoniam ſimpliciter colligantur, numerus videbitur aliquanto major, annorum videlicet 418 cum menſibus 6. Verum ſi anni regum Iudæ cum annis regum Iſraelis diligenter conferantur, numerus is juſto major eſſe deprehenditur: & neceſſario ad minorem, quem dixi, contrahitur. Nec dubito Spiritum Sanctum ideo annos utriuſq; regni ita contuliſſe, ut collatio nobis hîc pro menſura inſerviret. Creſcit verò numerus ille, quãdo annus poſtremus regis præcedentis non obſervatur idẽ plerũq; fuiſſe primus ſequẽtis. Deportatio igitur Iechoniæ & populi in Babyloné figitur in anno mundi 3404.

In

UVA. BHSC. SC 10877

Æra olympiadū.

In hoc intervallum tres nobiles Æræ exoticæ incurrunt. *Prima* Olympiadum seu annorum Iphiti: quorum tamen initium verum à priori, ut loquimur, Græcis ipsis incertum fuit, neque ullo charactere notabili infallibiliter haberi ex Authoribus potest: ipso Scaligero fatente his verbis: *Quod Chronologi notant, illud vel illud, illa*

Scalig. lib. 5. de emēd.

» *vel illa Olympiade contigisse, fidem eorum quidem libe-*
» *rat sed diligentiam eorum non probat: quod nimirum il-*
» *lud satis non sit ad ἐνάργειαν quandam temporum & re-*
» *rum gestarum indicandam.* CHARACTER *enim*
» *primæ Olympiadis desideratur, quo illius initia designen-*
tur. Hæc ille. Si verò ex hypothesi retrò numeremus ab excessu Alexandri, qui omnium consensu fuit anno 1. Olympiadis 114. vel à Christi Servatoris nostri passione, quæ magno etiam authorum consensu fuit anno 4 Olympiadis 202: initium Olympiadum incurrit in annum 21 Ioas regis Iuda: annum verò mundi 3154.

Æra urbis cōditæ.

Secunda æra est annus natalis urbis Romæ: de quo licet authores variè dissideant: plurimos tamen assertores habet sententia Scaligeri, quæ etiam est Beroaldi: & fuit Clementis Alex. Eusebii, Plinii, Solini, Dionysii, &c. quod inciderit in annū 1. Olympiadis 7: seu in annum Olympiadicum 25. Aliqui tamen (inter quos est

D. Christ-

UVA. BHSC. SC 10877

D. Christmannus noster) anno uno anticipant. Cohærebit igitur annus urbis conditæ cum anno 8 Amasiæ Regis Iuda: anno mundi 3178.

Tertia æra est Nabonassari â Ptolomæo & Cẽsorino celebrata, quæ omnium consensu natalibus urbis Romæ quinquennio tantum fuit posterior, concurrens cum anno Iphiti 30, anno 13 Amasiæ: anno mundi 3183. *Æra Nabonassari.*

SEXTA hypothesis: *A deportatione Iechoniæ & populi in Babylonem usq; ad* 1. *annum Cyri numerantur in Scripturis anni* LXX. *qui vocantur anni captivitatis Babylonicæ.* Hic nihil de fine & articulis intermediis: sed de principio tantùm disceptatur. *Sulpitius Severus*, quem sequitur *Lyra*, atque etiam *Beroaldus* noster, initium captivitatis 70 annorum figit in 4 anno Iojakimi: quam sententiam sustineri non posse ostenderẽ, si tempus ferret. Communior sententia eorum est qui annos 70 captivitatis ab eversione templi & ultima deportatione Zidkiæ ordiuntur. Ad me quod attinet eorũ potiùs accedo judicio, qui principium 70 annorum captivitatis figunt in deportatione Iechoniæ, quæ priorem illam tribus mensibus est subsecuta: ultimam verò annis 11 antecessit: quam etiam Clemens Alexandrinus habet: & hodie doctissimi Chronologi tuentur. Cujus argumẽ- VI. *Intervallũ captivitatis Babylonicæ.* *Initium captivitatis ubi figendum.*

UVA. BHSC. SC 10877

tum admodum evidens habetur ex Ieremię Epi-
Jerem. 29. stola ad Iechoniam reliquosſq; in Babylone captivos ſcripta: qui cum Hananiæ pſeudoprophetæ vanis promiſsis decepti poſt biennium ſibi reditum in patriam pollicerẽtur, Ieremias eos, ut ſpe tam vana depoſita, non niſi annis LXX. revolutis liberationem exſpectarent, hortatus eſt. unde evidentiſsimè conficitur, in deportatione Iechoniæ, vel ſaltem ante Zidkiæ deportationem, urbisque everſionem annos 70 captivitatis initium habuiſſe. Quantum n. ex Ieremia haberi poteſt, ſeu primo, ſeu quarto anno Zidkiæ, & ita minimum annis 7 ante urbis excidium, ſcripta fuit Epiſtola. Idem ex Ezechielis cap. 40 1. liquido cognoſcitur, ubi annus 14 everſæ urbis, annus 45 deportationis Babylonicæ fuiſſe dicitur. Captivitas igitur Babylonica cœpit ante everſam urbem annis 11. Ac merito profecto media illa deportatio captivitatis nomine præ aliis cẽſetur. Nam quatuor quidem deportationes populi poſt mortem Ioſiæ leguntur factæ. Vna in Ægyptum à Pharaone Nechone. Tres à Nebucadnezare in Babylonem. In prima abductus fuit Daniel cum ſociis & aliqua parte populi, anno 4 Ioiakimi. In ultima urbs quidem everſa, templum exuſtum, & horribilis populi ſtrages

Tres deportationes Babylonicæ.

ab

ab hostibus edita: Sed captivi pauci abducti ad 832: major pars plebis sub Godalia domi relicta. At verò media deportatio fuit maxima. In ea enim cum Iechonia Rege & Ezechiele propheta tota Ierosolyma, multaque captivorũ millia Babylonem abducta leguntur. 4. Reg, 44 14. κατ' ἐξοχὴν igitur media hæc deportatio captivitas Babylonica merito dicta, principium annorum 70 fuit, quorum finis incidit in annũ 1. Darii Medi: quo Babylon expugnata fuit Dan. 5 31. & 9. 2: cohæretq; cum anno mundi 3474, qui edictum Cyri de reditu Iudæorum proximè antecessit.

VII. *Intervallũ à Cyro ad Christum.*

Restat SEPTIMA hypothesis, præcipuam difficultatem habens: *A fine igitur captivitatis Babylonicæ, quem fecit Cyrus, concessa populo Judaico redeundi in patriam potestate anno Monarchiæ suæ primo, usque ad* CHRISTVM *excisum, hoc est crucifixum & mortuum pro nostris peccatis, juxta historiam sacram anni sunt 487.* Hoc etiam intervallum definitum habemus Dan. 9. 24. hebdomadibus 69 & dimidia, quæ annos 487 conficiunt incompletos. LXX quidem hebdomadas angelus principiò nominat, quæ annos continet 490. Sed postea semissem decîdit, cum dicit CHRISTVM antequã excidatur pactum roboraturum multis hebdomade postrema: in medio verò ejus septimanæ

UVA. BHSC. SC 10877

sacrificium & oblationem cessare facturum, hoc est, oblatione corporis sui sacrificia & oblationes typicas adimpleturum atque aboliturum.

Sacri & profani calculi dissidium.

Verum hîc Rhodus Auditores. Negant Chronologi hoc spacium tam angustè definiendum esse. Cur? quia calculus profanus longè amplius requirit. Quæritur sacro an profano calculo hîc potius sit standum. Ego vos Iudices appello. Sacrum verò calculum contra profanum sic breviter astruo.

Hebdomadas cũ fine captivitatis immediatè cohærent.

Primùm si hebdomades immediatè cohærẽt cum fine captivitatis, utique calculus profanus vanus est. Cohærent autem: vanus igitur. Quod cohæreant, patet, quia angelus initium hebdomadum expresè figit in exitu verbi de reducendo populo, & reædificanda Ierosolyma; finem

» in CHRISTI excisione, cum dicit: *Scito igitur,*
» *quod ab egressu verbi de redire faciendo (populo) & de ae-*
» *dificanda Ierosolyma sunt septimanæ septem: & septima-*
» *næ 62: & post has septimanas excidetur* CHRISTVS.

Hunc verò exitum verbi non posse nisi de promulgatione edicti Cyri intelligi, quæ Esdr. 1. habetur his vetbis:

» *Anno* I. *Cyri Regis Persarum ex-*
» *citavit Jehova spiritum Cyri Regis Persarum, qui egredi*
» *fecit vocem* (ut est in Hebræo textu, manifesta al-
» lusione ad egressum verbi apud Danielem) *hoc est,*

UVA. BHSC. SC 10877

est, promulgavit edictũ per universum regnum suum, &c. Oratione superiore de hebdomadibus habita pluribus rationibus solidissimis à me demõstratum fuit, quas brevitatis causa nunc non repeto.

Profanus calculus parit difficultates & absurda.

Porro, si omnis hiatus, quem Chronologi inter finem captivitatis & initium hebdomadum faciunt, varia importat incommoda & absurditates: utique profanus calculus teneri nõ potest. Atqui verum prius: omnis namque hiatus scopum usumq; oraculi evertit. Scopus oraculi fuit, Danielem mœstum solicitumque consolatione erigere: de tempore liberationis per Cyrum & per Messiam edocere, sicut dicit Angelus: *Intelligere faciam te*, &c. et deniq; Chronologiæ sacræ illud, quod desiderabatur, usque ad CHRISTVM pertexere. At nihil istorum fecit Angelus: nihil Danielem est cõsolatus: nihil eum intelligere fecit: nihil prosunt hebdomades ad certam Chronologiam: si non de proximo Cyri edicto, quod mox altero post oraculum anno prodiit, sed de alio, incertum quando post futuro, puta post annos 9 vel 16 vel 36 vel 40 vel 44 vel 80 vel 107 vel 115 vel denique 127 (adeò enim hic titubant & in hiatu non conveniunt Chronologi) Angelus dicitur locutus: Quod etiam intelligens *Burgensis in addit. Lyræ* dicit, si principium in aliquo

UVA. BHSC. SC 10877

termino post futuro figatur, nõ fuisse Danielem per hanc revelationem certificatum de tempore, quo ea, quæ petebat, deberent impleri, sed potius ignorasset, quantum temporis distaret à tempore revelationis usque ad tempus, in quo complenda essent ea, quæ ipsi fuerant revelata, quod foret inconveniens. Absurditatis verò exemplũ hoc habete. Author emendationis temporum initium hebdomadum figit anno 2 Darii Nothi, inter Cyrum & hebdomades hiatum faciẽs annorum 107. Constat verò anno 6 Darii (quem Nothum fuisse non negauerim) templum esse absolutum. Iam videte quid patiatur hęc sententia. Fingamus Zerubabelem Ducem, cùm anno 6 Darii templum exædificasset, ut est Esdr. 6. 15. ætatem Mosis habuisse 120 annorum, quantam post Mosen attigisse vix quisquam legitur. Demamus ab hac ætate hiatum 100 & 11 annorum (tot enim erunt ad templum absolutum) & habebimus ducem puerum 9 annorum in egressu ex Babylone, quo quid absurdius? Fingite deinde Iosuam Pontificem, qui & ipse exædificatio-
ni præfuit, tunc fuisse aliquanto majorem, puta annorum 130. quæ fictio profectò plus est, quam liberalis. Deinde ab hac ejus ætate hiatum illum 100 & 11 annorum, & habebitis in egressu ex Baby-

Absurditatis manifestæ exemplum.

UVA. BHSC. SC 10877

Babylone adoleſcentem pontificem 19 annorum, qua ætate ne quidē ſacerdoti, ne dum pontifici, eſse licuit. Nam per legem Num. *4. 3.* anni 30. requirebantur in ſacerdote: Quis verò credat, duobus adoleſcentibus tantam provinciam reducendi populi à Cyro concreditam fuiſse?

Præterea, ſi calculus profanus ſibi non conſtat, ſed eſt varius, incertus, lubricus, utique hoc ipſo ad certam Chronologiam ineptus eſt & repudiandus. Atqui profectò nihil magis varium perplexum & inconſtans eſt Græcis ſcriptoribus in Perſicis hiſtoriis, quam prorſus Græca fide deſcripſiſſe videntur. Sive enim durationem Monarchiæ Perſicæ á Cyro ad Alexandrū, ſive numerum & nomina regum Perſicorum, ſive ſingulorum regum annos requiras, vix duos invenies concordes. Aliter reges & annos Perſicos Cteſias, aliter Metaſthenes, aliter Herodotus, Dionyſius, Diodorus, &c. deſcripſerunt: de quo qui dubitat, Ioſephum legat velim. *Certe*, inquit, *in ſuis libris alii alios plerumque refellunt, & iiſdem de rebus diverſiſſima ſcribere non dubitant, cujus diſcrepantiæ cauſas duas ibidem primarias fuiſſe cenſet: unam quod à primordio apud Græcos curatū non fuit, ut* ANNALES *conficerentur, id, inquit, inprimis & errori cauſam & mentiendi licentiā præbuit iis, qui poſtea*

Proſanus calculus ſibi non conſtat.

Ioſeph. lib. 1. contra Appion.

UVA. BHSC. SC 10877

„ *de rebus antiquis ſcribere voluerunt. Alteram quodqui*
„ *ſcribere aggreſsi ſunt, non veritati ſtuduerunt (tametſi*
„ *hoc ſemper profiteri ſoleant) ſed dicendi vim oſtentarũt,*
„ *& eam ſcribendi rationem ſecuti ſunt, qua ſe aliis ſuperi-*
„ *ores viſum iri exiſtimabant: non nulli ad fabularum nar-*
„ *rationes animum applicantes: alii ad gratiam aut urbes*
„ *aut reges laudantes: alii res geſtas aut ſcriptores crimina-*
„ *ri aggreſsi ſint, id ſibi laudi fore ducentes: denique plane*
„ *contra quam poſtulat hiſtoria factitarunt. Eſt enim veræ*
„ *hiſtoriæ indicium, ſi de iiſdem eadem omnes & dicant &*
„ *ſcribant. At illi ita demum ſe veriſsimos omnium viſum*
„ *iri judicabãt, ſi eadem aliter ſcriberent.* Hæc Ioſephus.

Scaliger de emend. lib. 6. p. 281.

Nimis igitur periculoſum eſt affirmare, Græcos ſcriptores ita verè ac fideliter omnium regũ Perſidis annos retuliſſe, ut ab initio Cyri ad exceſſum Alexandri M. ne unus quidé annus perierit. Quid igitur ſibi vult tàm flagitioſus authorum conflictus? Reges Perſicos alii 14, alii 13, alii 11, alii 10, alii 9, alii 8, alii 5, alii quatuor tantùm numerãt. His verò alii tribuunt annos 250, alii 235, alii 230, alii 210, alii 207, alii 206, alii 200 alii 191, alii 188, alii denique 106. Atqui, *quando ita confusè de temporibus ſcribitur, univerſa hiſtoria tubat*, inquit Euſebius.

Euſeb. de præpar. Euang. lib. 40. c. 3.

Reſponſio ad characteres objectos.

Objiciuntur characteres quidam annorum Perſicorum, quibus videtur contradici non poſſe: quòd

UVA. BHSC. SC 10877

quod omnes ſcriptores Cyri initium in primum annum Olympiadis 55 conferant: *quod* annus 7 Cambyſis juxta Ptolomæum fuerit annus 225 Nabonaſſari: à Nabonaſſaro dehinc ad exceſsū Alexandri fuerint anni 424: Vnde inter 7 Cambyſis, & exceſſum Alexandri, habentur anni 199: quòd Artaxerxes Longimanus deceſſerit, Darius Nothus regnare cœperit anno 7 Peloponneſiaci, anno 2 Olympiadis 89: *quòd* denique Artaxerxes Memor Dario ſucceſſerit anno 20 ejuſdem belli, anno 1 Olympiadis 94.

Expedienda res eſt paucis in præſens. Plena enucleatio ad Chronologiam pertinet. Omnes iſtos characteres, ſecundo excepto, lubrico niti fundamento, ex eo fit manifeſtum, quòd fatente Scaligero Chronologorum Principe, character primæ Olympiadis deſideratut, quo illius initia deſignētur. Quod igitur Chronologi notant, illud vel illud, illa vel illa Olympiade contigiſſe, fidem eorum quidem liberat, ſed diligentiam nō probat, ut illius utar verbis. Certi utique hi characteres eſſent, ſi & initium Cyri, & belli Peloponneſiaci tempus Olympiadibus rectè applicatum cōſtaret. Quomodo verò rectè applicatum eſſe conſtabit, ſi principium earum omnes latuit? Scio Dionyſium Olympiadas ordiri poſt

UVA. BHSC. SC 10877

Ilii excidium annis 408: Diodorum & Clementem annis 407: alios 406 vel 405, quod posterius Scaliger ex Ephoro ut solidum amplectitur. Sed quæso vos, Troiæ excidium in quodnã temporis intervallum incidit? Censorinus ipse ex Varrone ad *μυθικὸν fabulosum* retulit, ut suprà attigi. Et nos credemus, in fabuloso illo temporum cursu annum hujus vel illius rei adeò exactè notatum esse, aut notari jam posse, ut annus non perierit? *Sæpe imponunt nobis Græci vel prudentes vel imprudentes*, ait verisimè Scaliger lib. 6. emend.

Ptolomęi annotatio plus habet momenti: Sed nec ipsa est solida. Ptolomæi quidem observationes, quas ex motibus habet, fidem indubiam merentur: quale est, quòd septimum Cambysis annum defectu luminaris designat. Quæ verò præter observationes ex recepta Græcorum historia, vel ex Ægyptiorum fabulis affirmat: ea omninò ad veritatis trutinam examinari convenit, quam ex Persicis Græcorum historiis minime haberi, sed ex divinis oraculis certiùs peti cõfirmo. Atqui duo illa posteriora, de annis Nabonassari ad Cambysen, & ad excessum Alexandri, non ex certis observationibus: sed collectione tantùm probabili, receptaque Ægyptiorum opinione pronunciare Ptolomæum, vel ex eo liquere

UVA. BHSC. SC 10877

liquere poteſt, quòd neque initium Nabonaſſari, neque exceſſum Alexandri aliquo charactere indubio ex luminarium defectu, aut obſervatione alia evidenti inſignire habuit, vel Ægyptii ante eum inſignire habuerunt. Tribuit is quidem ſuis Ægyptiis inde ab initio Nabonaſſari obſervationes ad ſuum uſque tempus conſervatas. Sed ſi adeò exacti fuerunt temporum cenſores Ægyptii: quid ſibi volunt tàm putidæ eorum fabulæ de 17000 annorum, ab Hercule Ægyptio uſque ad Amaſium Cambyſis σύγχρονον, qui etiam ex vulgari computo 220 annis Nabonaſſaro fuit poſterior? Quid etiam ſibi vult, quod Ptolomæus antiquiſsimam omnium obſervationem facit Eclipſin lunæ 29 die Toth, anno 1 Mardocempadi, initio Nabonaſſari 27 annis poſteriorem? Quis fuerit Nabonaſſar, Ægyptiorum, Chaldæorum an Aſſyriorum Rex, nunc non quæro: nec ad rem intereſt. Initium ejus, niſi certo notatum detur charactere: non magis ex eo quàm ex lubrico Olympiadum principio certò definiuntur tempora. Nihil igitur characteres iſti computo ſacro incommodant. Num verò, inquis, calculus profanus in totum abjiciendus? Minimè. Dividendum judico:

Herod. lib. 2.

UVA. BHSC. SC 10877

quod verum certumque habet, recipiendum: quod falsum dubiumve, ex divino corrigẽdum. Dividamus enim totum curriculum hebdomadum, h. e. annorum 487, in duo membra, quorum prius res Persicas à Cyro ad victoriam Alexandri de Dario: posterius res Græcas Seleucidarum & Ægyptias Lagidarum ab Alexandri Monarchia usque ad Augusti victoriam Actiacam, & paulò amplius usque ad Christum natum vel excisum complectatur. Hoc posterius membrum controversia caret. Omnium namq; consensu Darius devictus est ad Arbela, seu (ut Plutarchus mavult) ad Gausamela anno Iphiti 446, anno 2 Olympiadis 112, Pugna Actiaca cõmissa anno Iuliano 16, Olympiadico 747: Christus servator ex virgine natus anno Olympidiaco 776 seu 4 Olympiadis 194: Idem verò excisus & mortuus Olynpiadico 808: seu 4 Olympiadis 202, qui fuit Tiberii 18. De his inquam est inter authores consensus, saltem ex hypothesi, ubicunque tandem Olympias prima fuerit: quia calculus sacer & profanus in Regno Alexandri concurrunt. Ideo autem concurrunt, quia tempora Alexandri & subsequentia, utpote propiora & notiora, plures atque diligentiores invenerunt scriptores Græcos & Latinos veritatis testes.

Duo mẽbra postremi curriculi.

Cur calculus sacer & profanus in Alexandro concurrũt.

UVA. BHSC. SC 10877

testes. Continet verò hoc membrum ab Alexandri victoria ad CHRISTVM natum annos *329*: ad eundem excisum, quousque se hebdomades Danielis extendunt, annos *362*. Principium ejus cohæret cum anno mundi 3600 : Finis in nativitate CHRISTI cum anno mundi 3928: in ejusdem passione cum anno mundi 3961: Qui verè sunt anni nativitatis & passionis Dominicæ juxta calculum sacrum, ut rectè *Beroaldus* & *Bruchthonus* supputarunt, licet hic anno uno utrumque anticipet. Itaque posterioris membrî articulos nihil est, cur fusius nunc persequar. De priore membro res Persicas complectente à Cyro ad Alexandrum, relinquitur omnis quæstio: quam nequaquam ex discordibus Græcorũ historiis, sed ex divinis Esdræ, Nehemiæ & Danielis libris decidi, nec regulam lapidi, sed lapidem regulæ, h. e. calculum profanum divino, non contrà accommodari oportere, ego quidẽ omnibus modis censeo. Ex computo igitur sacro à Cyri anno 1. ad Alexandri Monarchiam non nisi 125 anni Persicis regibus debentur. Tot enim anni ex totius intervalli annis 487 relinquuntur, demto inde posteriore membro seu annis ab Alexandro ad CHRISTVM.

Anni Monarchiæ Persicæ 125. demonstrantur.

Huic sententię primùm favet Regum Persico-

UVA. BHSC. SC 10877

Dan.11.2 rum numerus. Daniel namque post Darium Medum ad Alexandrum usq; non nisi quatuor numerat: Ex historia verò Esdræ & Nehemiæ

Sex Reges Persidis. sex omnino à Cyro ad Alexandrum regnasse cognoscuntur in Persida: quorum quidem anni aliqui notantur: omnes verò singulorum non

Darius Medus. definiuntur. In horum censum *Darius Medus* non venit, qui expugnata Babylone, altero mox anno, quippe climacterico suo magno, senex vita functus (uti Dan.5,31. non obscutè innuitur) Monarchiam Cyro socio & genero reliquerat.

I. *Cyrus.* CYRVS igitur primus Monarchiam Persicam stabilivit, primo hebdomadum & Imperii sui anno, Iudæis captivis libertate donatis, qui annus erat 2 Olympiadis 82, mundi 3475. Cyri annũ 1 & 3 solum habemus Esdr.1.1, & Dan.10.1 Tribuamus verò ei cum Cambyse filio annos 7. Babyloniis enim subjugatis mox in Massagetas movit, tradito Cambysi imperio: neque inde in regnum reversus est, ut author est Herodotus.

Herod. lib. 1. Triginta verò anni, quos Cyro vulgò tribuunt, non monarchiæ à capta Babylone, sed regni Persici à devicto Astyage fuisse intelligẽdi sunt.

Herod. lib.3. Plutarch. in Artaxerxe. Cambysi autem annos 7 multò verius tribuit Herodotus, quàm Ctesias duodeviginti, qui (Plutarcho teste) variis fabularum commentis

à ratio-

UVA. BHSC. SC 10877

à ratione & veritate multùm abhorrentibus libros suos refersit.

Secundus Persarum Rex ACHASVERVS nominatur Esd. 4.6: sive is *Darius Histaspis* filius fuerit, sive Græcorum *Xerxes*, ut placet Scaligero. Huic cum Metasthene tribuamus sanè annos 20. sed incompletos, quorum ultimus idem primus successoris fuerit. II. *Achasverus.*

Tertius Persarum Rex ARTAXERXES, fortè Græcorum *μακρόχερ Longimanus* Esd. 4.7. Nec assentior iis, qui ex his duobus unum *Achasverum Artaxerxen* faciunt. Esdras enim ut duos expressè distinguit. Huic non possunt nisi 16 anni incompleti competere: tùm ob characterem anni 2 & 6 Darii sequentis, quem mox ostendam: tùm etiam ob calculum profanum, qui hîc à sacro non multùm discordat. Iuxta enim Thucydidem Artaxerxes prior septimo anno belli Peloponnesiaci decessit, relicto Dario hærede, cujus charecter, ut dixi, ex historia sacra habetur. Initium igitur belli Peloponnesiaci in hujus Artaxerxis annum 10 labentem incurrit, qui juxta calculum profanum fuit annus 4 Olympiadis 87: Scaliger triennio anticipat contrà, quàm fert Xenophontis computus. III. *Artaxerxes 1.*

UVA. BHSC. SC 10877

At juxta calculum ſacrum fuit annus 1. Olympiadis 90. Sic 9 duntaxat annis completis Xenophon à verò hîc deficit, quod ex Chronologia noſtra ſacra nagis pateſcet. Quantò enim ad tempora Alexandri propiùs acceditur: tantò calculus profanus à ſacro minùs diſcordat.

IV. *Darius I.*

Quartus Perſarum Rex DARIVS Iudæorum Δερξέης, cujus authoritate ſtructura templi inde à Cyri temporibus, annis *42* impedita, tandem anno imperii ejus *2* continuari cœpta, perfectaque fuit anno ejuſdem 6, ut habetur Eſdr. 6. 15. *Eſd 4. 24, Hagg. 1. 1*

Hunc Darium fuiſſe *Nothum* Græcorum, inter duos Artaxerxes poſitum, nullus dubito cum Scaligero. Sulpitius Darium Ochum cognominat. Sextus ejus annus, quo opus templi abſolutum fuit, cohęrebit cum belli Peleponneſiaci anno 13, Olympiadico 369, ſeu 1 Olympiadis 93, juxta computum ſacrum: juxta profanum verò cum 4 Olympiadis 90. Reliquum regni ejus cùm Eſdras non definiat, ex fine belli Peloponneſiaci annorum tredecim non ſolidorum fuiſſe cognoſcitur. Finis enim ejus belli in anno 4 Artaxerxis *2*, à Xenophonte ſignatur. Annus igitur *26* belli Peloponn. emortualis fuit hujus Darii, idemq; primus Artaxerxis ſecundi, qui ſequitur. Sic regno DARII anni 19 non ſolidi competunt. *Scaliger de emend. lib. 6. p. 286.* *Xenoph. ἑλλω. lib. 2*

Quintus

UVA. BHSC. SC 10877

Quintus Persarum Rex ARTAXERXES II. memoratur in historia Esdræ & Nehemiæ. Is anno regni 7 Esdram Sacerdotem in Iudæam dimisit: & anno 20 Nehemiam ducem ad mœnia Ierosolymæ reparanda submisit, annis post templum absolutum 19 & 32. Hunc *Artaxerxen* esse Græcorum μνήμονα seu *Memorem* facilè assentior. Diu eum regnasse consentaneum est: quia Nehemias anni 32 regni ejus bis meminit. Profani etiam scriptores annos minimum 40 ei tribuũt: Ctesias 42, Metasthenes 55, Plutarchus, quem sequitur Sulpitius, annos 62, aperto errore. Sic enim tempora Alexandri attigisset, obitumque Philippi Macedonis superasset: quandoquidem Darium ultimum regem Persarum factum ante Philippi excessum Diodorus rectè annotavit, Tribuamus igitur Artaxerxi huic cum Eusebio annos 40. Nisi fortè Nehemias annum 32 ejus extremum fuisse notare voluit, cum dixit, se *anno 32 Artachsastæ, in fine dierum, venisse ad Regem* Nehe. 13. 6.

V. *Artaxerxes II. Esd. 7. 8. Neh. 1. 1.*

Neh. 5. 14 & 13. 6.

Diod, Sic. lib. 17 non procul ab initio.

Sextus Persarum Rex DARIVS II. quem Nehemias nominat *Darium Persam*, Iustinus *Codomannum*. Diodorus, filium fuisse Arsani fratris Artaxerxis II, pauloque ante Philippi Macedonis obitum, ut dixi, Regẽ factum scribit. Quam

VI. *Darius II Nehe. 12. 22.*

UVA. BHSC. SC 10877

diu regnum tenuerit, authoribus incertum eſt: neque Nehemias expreſsit. Ab Alexandro ad Arbela prælio ſuperatum regnoq; exutum conſtat anno 2 Olymp. 112. Sextum igitur regni annum non explevit. Inter hunc Darium & Artaxerxen II. Græci nominant OCHVM & ARSEN ſeu ARSANEM. Et ſanè utrumque vel altetum interveniſſe probabile eſt. Sed neuter diu regnavit. Clemens & Sulpicius Ocho dant annos tres: Diodorus Arſani totidē. Præterea Ochum ob mores cruentos ac truces populis ſuis fuiſſe inviſum, & ideò à Bagoa Eunucho veneno ſublatum, Diodorus refert. Non mirum igitur, ſi nomina iſtorum hiſtoria ſacra involvit ſilentio. Demus tamen *Ocho* poſt Artaxerxen annos 19 non ſolidos: *Arſani* duos cum tertio labente. Sic omnium regum Perſicorum monarchia à Cyro ad Alexandri victoriam incluſivè fuerunt anni ſolidi 125. Atq; hæc eſt prima ſententiæ hujus demōſtratio.

Diodo. μιςμέν ὧν ἀλλὰ τὼ χαλεπότητα τῶν τρόπων.

Secundò eidem ſuffragatur ducum Iſraëliticorum, qui à Cyro ad Alexandrum rebus Eccleſię præfuerunt, paucitas. Non. n. niſi duo Duces populi, Zerubabel & Nehemias in tota monarchia Perſica memorantur: Neh. 12, 47. Zerubabelem ſextum annum Darii ſuperaſſe conſtat. Vtrum ad tempora Ezræ & Nehemiæ vitā produxerit, affirmare

Duo tantum duces Iſraëlitarum ſub regno Perſico.

UVA. BHSC. SC 10877

affirmare nõ ausim. Tam ipsum quàm Iosuam Pontificem ante Ezræ adventum vita functos fuisse, ex Esdr. 8. 33. colligi posse videtur. Nec ætas utriusque diversum sentire facilè patitur. Si enim in egressu ex Babylone viri trigenarii fuerunt, in reditu Esdræ nonagesimum sextum annum superaverant, quę ætas gravis erat & insueta. Nehemiam tempora Darii ultimi & Alexandri attigisse ex eo obscurum non est, quòd ipse Pontifices usque ad regnum Darii ultimi, & in his *Iaddum*, qui, teste Iosepho Alexandro obviam prodiit, disertè memorat. Atqui duos tantùm duces gubernacula populi Iudaici per annos 230 aut his amplius (ut Græci volunt) tenuisse probabile non est, quantacunque eorum fingatur longævitas. Annos verò 125 vel aliquanto pauciores (neque enim Nehemiam ad Alexandri usque victoriam superesse fuit necesse) eis tribuere multò est verisimilius.

Nehe. 12. vers. 10. 11

Ioseph. lib. 11. Antiquit. cap. 8.

His *tertiò* accedit argumentum longè evidentissimũ ex testimonio Iudæorum, qui templum annis 46 ædificatum fuisse Christo objecerunt: neque id CHRISTVS ut falsum reprehendisse legitur apud Iohannem. Cum historia autem probè id convenit. A jactis namque templi fundamentis anno secundo post reditum, qui erat

Joha. 2. 20

UVA. BHSC. SC 10877

tertius à Cyri edicto, usque ad annum sextum Darii Evergetæ, præcisè fuerunt anni 46. Tametsi enim structura variè diuque fuerit impedita, primùm à Cambyse prorege cõsiliariorum impulsu, de quibus habetur Esdr. 4.5: deinde ab Achasvero, Esdr. 4.6: demum ab Artaxerxe I. Esdr. 4.7: tamen Iudæos ab ædificando numquam penitus abstinuisse usque ad Darii tempora, Thatnai præfectus literis suis ad Darium
„ testatum fecit: Esdr. 5.16: *Tunc*, inquit, *Sesbazar*
„ *iste* (*Zerubabel*) *venit & jecit fundamenta domus Dei,*
„ *quæ est in Jerusalaim, & ex eo tempore usque ad hoc tem-*
„ *pus ædificatur, & necdum perfecta est*. Hoc fixo charactere, indubiè habetur, à Cyri edicto ad primam templi Encænia celebrata, de quibus Esdr. 6.17, non fluxisse nisi annos 48, ad primum verò Pascha, de quo ibidem ver. 19.22, annos 49, qui septem primis septimanis ab exitu verbi usque ad reędificandam plateam & fossam ab Angelo fuerant definiti: Iam si etiam Scaligeri calculum hîc amplectamur, à primis Encæniis porrò ad victoriam Alexandri non habebimus nisi annos 87: qui juncti prioribus 48, monarchiam Persicam omninò ad annos 135 extendent. In quo tamen numero decennium redundare, computus diligentior ostẽdit. Prima certè Encænia templi,

vicio-

UVA. BHSC. SC 10877

victoriam Alexandrri non amplius 77 annis præcessisse, Chronologia nostra sacra demõstrabit. Redundantia est ex falsâ hypothesi, quòd Daniel hebdomadas LX & IX ab instauratione templi usque ad eversionem ejusdem extenderit, ut putat Sulpitius, & qui eum sequuntur.

Ex quibus omnibus, Auditores, intelligere vos tandem confido, curriculum temporis postremum à Cyro ad Christum ex hebdomadibus Danielis verissimè definiri annis 487: & septem omninò hypothesib. quas ostendi, evidentibus Chronologiã ab Adamo primo ad secundum integram solidamque ex sola historia sacra constrúi posse atque debere. Absit igitur ut profanis Chronologis hanc palmam concedamus, tamq; sacrilegam divinis oraculis inuri notam patiamur, quod ad cognoscẽda temporũ priscorum intervalla & promissionum veterum complementa, solæ nobis Scripturæ S. non sufficiant nisi hîc Græcorum commẽta ἀ'δηλα μυθικὰ, prorsusq; ἀψύχαλα nobis adminiculentur. Sed tempus postulat, ad institutum ut me convertam, &c.

UVA. BHSC. SC 10877

SYNOPSIS

CHRONOLOGIAE SACRÆ AB ADAMO AD CHRISTVM EXCISVM: SEPTEM CVRRICVLIS DISSINCTÆ, CVM SINgularum præcipuis articulis, annis Mundi applicatis.

CVRRICVLVM I.

Ab orbe condito ad diluvium incipiens inclusivè:
Annorum: 1656.

Hujus Articuli annis Mundi applicati sunt 10.

1	Ab	Adam ad natum	Seth: anni	130.	anni Mundi	130.
2	A	Seth ad	Enos	105.		235.
3	Ab	Enos ad	Cainan	90.		325.
4	A	Cainan ad	Mahaleel	70.		395.
5	A	Mahaleel ad	Iered	65.		460.
6	A	Iered ad	Enoch	162.		622.
7	Ab	Enoch ad	Methuselah	65.		687.
8	A	Methuselah ad	Lamech	187.		878.
9	A	Lamech ad	Noah	182.		1056.
10	A	Noah ad diluvium incipiens		600.		1656.

CVRRICVLVM II.

A diluvio ad oraculum de servitute seminis Abraham Gen. 15. 13 inclusivè: Annorum 437.

Hujus articuli annis mundi accommodati sunt 11.

1	A	diluvio finito ad natū	Arphachsad	anni 2.	anni Mundi	1658.
2	Ab	Arphachsad ad	Selah	35.		1693.
3	A	Selah ad	Heber	30.		1723.
4	Ab	Heber ad	Peleg	34.		1757.
5	A	Peleg ad	Reu	30.		1787.
6	A	Reu ad	Serug	32.		1819.

UVA. BHSC. SC 10877

7	A	Serug ad	Nachor	30.		1849.
8	A	Nachor ad	Therah	29.		1878.
9	A	Therah ad	Abraham	130.		2008.
10	Ab	Abrahã ad egressum ex Haran.		75.		2083.
11	Ab	egressu ex Haran ad oraculum serv.		10.		2093.

CVRRICVLVM III.

Ab oraculo servitutis ad exitum ex Ægypto exclusivè:
Annorum 430.

Hujus articuli annis Mundi applicati sunt 7.

1	Ab oraculo serv. ad natum Isaac	anni 15.	anni M.	2108.
2	Ab Isaac ad natum	Iacob 60.		2168.
3	A nato Iacob ad ejus descensũ in ægyp.		130.	2298.
4	A descensu ad mortem	Iacob 17.		2315.
5	A morte Iacob ad obitum	Ioseph 53.		2368.
6	Ab obitu Ioseph ad natum	Mosen 75.		2443.
7	A nato Mose ad Exodum	80.		2523.

CVRRICVLVM IV.

Ab exodo ad fundatum templum Salomonis inclusivè:
Annorum 480.

Hujus articuli annis Mundi accommodati sunt 7.

1	Ab exitu ad obitum Mosis	anni 40:	anni M.	2563.
2	Sub Iosua	17.		2580.
3	Sub Iudicum gubernatione	299.		2879.
4	Sub Heli Pontifice	40.		2919.
5	Sub Samuele & Saule	40.		2959.
6	Sub Davide	40.		2999.
7	Sub Salomone ad templum fundatum	4		3003.

CVRRICVLVM V.

A fundato templo exclusivè ad deportationem Iechoniæ inclusivè:
Annorum 401.

Hujus articuli per annos Regum Iuda annis M. applicati sunt 20.

1	A templo fundato ad mortẽ Salom,	anni 36	anni M.	3039.
2	Roboam	17.		3056.
3	Abias	3.		3059.
4	Asa	40.		3099.
5	Iosaphat	24.		3123.
			6. Ioram	

UVA. BHSC. SC 10877

6	Iòram			4.	3127.
7	Ahasias			0.	
8	Athalia			6.	3133.
9	Ioas			40.	3173.
10	Amasias			26.	3199.
11	Vsias sive Asarias.			52.	3251.
12	Iotham			16.	3267.
13	Ahas			15.	3282.
14	Hiskias			26.	3308.
15	Manasses			54.	3362.
16	Amon			2.	3364.
17	Iosias			30.	3394.
18	Ioachas	mens.	3.		
19	Iojakim			10.	3404.
20	Iechonias	mens.	3.		

CVRRICVLVM VI.

A deportatiõne Iechoniæ ad annum I. Cyri exclusivè : Annorũ 70.

Hujus articuli annis Mundi applicati sunt 3.

1	A deport. Iechoniæ ad eversum templũ anni	11.	anni M.	3415.
2	Ab everso templo ad exaltatum Iechoniam.	26.		3441.
3	Ab exaltato Iechonia ad Cyrum.	33.		3474.

CVRRICVLVM VII.

A 1. anno Cyri ad Christum excisum inclusivè. Annorum 487.

Hujus articuli annis Mundi applicati sunt 10.

1	A Cyro ad fundatum tẽplum anni cõpleti	2.	anni M.	3476.
2	A templo fundato ad idem absolutum	46.		3522.
3	A templo absoluto ad Esdræ adventum	19.		3541.
4	Ab Esdræ ad Nehemiæ reditum	13.		3554.
5	A reditu Nehemiæ ad urbem instauratam	12.		3566.
6	Inde ad Alexandri victoriam	33.		3599.
7	A victoria ad excessum Alexandri	7.		3606.
8	Ab excessu Alexandri ad æram Iulii	277.		3883.
9	Ab æra Iuliana ad Christum natum	45.		3928.
10	A Christo nato ad eundem passum	33.		3961.

FINIS

Synopseos Chronologiæ sacræ.

UVA. BHSC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

UVA. BHSC. SC 10877

Biblioteca de
10 8

UVA. BHSC. SC 10877

SCAL

GE

es

Pariew

de

de Santa Cruz

UVA. BHSC. SC 10877

USA. BHSC. SC 10877



UVA. BHSC. SC 10877